BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

IANI ANYSII PROTOGONOS TRAGOEDIA.

IANI ANYSII PROTOGONOS.

DRAMATIS PERSONAE.

PITHὸ. ARETἘ.

CHORVS ANGELORVM.

PARADISOS. CHORVS

NYMPHARVM. PROTOGONOS.

ANDROGYNE. NEMESIS.

TISIS. POLYPONOS.

METANOEA. ELEOS.

DICE. IVPITER.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ARGVMENTVM.

u *Irtute uicta & genio bono, ac perſuaſis Androgyne & Protogono primis parentibus, Pithò genius malus exultat inq́; ipſum deum congerit conuicia.* Id *Chorus* Angelorum *admiratus myſteriáq; enarrans* Deum *quammagnificentiſsimis uerbis canit promittitq́; iniuriarum ultorem.* Paradiſus *non ſinè querela & eiulatu, eiectis colonis clauditur.* Illi *inter-*

fugiendum monſtra quæ occurrerunt, recenſent. Nemeſis, Tiſis & Polyponus labores & exquiſitos cruciatus aduerſùs parentes genuſq; hominum apparāt. Metanœæ hortatu petitur à Deo delicti uenia. Eleo cauſæ patrono aduerſùs Dicen orante Iupiter Dei altiſsimi filius ſententiam dicit ſe morti rerum & hominum quæ nullo eſſet deuitanda pacto ſua morte occurſurum atq; in orbem terrarum uenturum & deinde poſt ſupremo iudicio iudicaturum, id quod à Choro tandem numeris prò captu interpretatis declaratur.

PROLOGVS.

Ragœdiam intermiſſam ab uſq; ſeculo
t Illo beato quo nitebat ingenii
Ver floridum, meſsiſq; prouentum dabat
Largum Camœnis, affero uobis, deo
Non abnuente lucidi arbitro ætheris.
Fauete ciues uoſq; Parnaſi incolæ
Siqui eſtis hiſce fluctibus ſuperſtites
Quos uoluit æſtus atq; tempeſtas diù
Ruens procella cerulo in campo rateis,
Fauete & aſpirate cœptis his boni,
Aequi, benigni, laude creſcat ut recens
Amórq; ſtudiúmq; & Poeta det nouas
Placere poſsint uſq; quæ in dies magis,
Exemplo & excitare quam pulcherrimo

Ingenia propemodum ueterno mortua.
Iacêre ne diutiùs permittite
Tot Sole claro clariora pectora,
Reuocate quæſo ſtudia liberalia
Muſáſq; Cyrrhæ ſiſtite excelſis iugis
Vbi celebrent lætiſsimæ Deæ choros
Quales ſolebant candido illo ſeculo
Cœlo & ſereno, turbine amoto procul.
Caligine atra obnubitur ſerenitas
Atra inuidorum, præter alia incommoda,
Radice quia repullulant perenniter
Quæ amara, amaram Cerberi ſpumam ferat
Ab angue ſumit Tartari ut quæ originem,
De quo ſumus dicturi in hac Tragœdia
Quam nempè Pithò exordiatur, ut ſtatim
Videbitis, uenena tetra interſpuens.
His pauca reſpondere uiſum eſt tamen.
Faciant prius quàm iudicent iſti Cati
Docent nepotem Atlantis infantes loqui,
Docentq; currere cocleæ lepores leues.
Quis tandem ineptæ finis arrogantiæ?
Quis terminus modúſq; confidentiæ?
Nullus, ſed in dies fit inſolentior.
Vel cúm æmulari non datur, uel cúm ſibi
Plus uindicant ſatis, eleuant Apollinis
Tum docta dicta, aut inuident miſerrimè.
Peruerſa mens, iudicia peruerſiſsima.

Vbi illa uetus atq; attica elegantia?
Exaruit prô Iupiter radicitùs,
Sunt nullæ Athenæ aut ſpuria proles ac notha.
Prolixiora, at ſcena reſpuit. potes
Tum multa demere abſq; iactura graui
Quæ ſupprimat proſcenio actor hiſtrio.
Sat eſt libello ſi legatur integra,
Plus ad lucernam quàm ad theatri fornices
Latura delectationis fabula.
" *Oratio eſt ea longa, quæ placet minùs.*
Quid, ſi iubetis diuiduam agier? adero
Cùm Sôle cras impranſus ad proſcenium,
Aut pranſus ut iubebitis. ſed deſino,
Sunt friuola hæc & tabe conſpurcant canes
Oculiſq; Baſiliſci inuident Acherontij.
" *Infrenis ôris, perditæ impudentiæ*
" *Iactura finis tandem & infortunium.*
Iſtos ualere ſed ſinamus. uos benè
Ita ament Camœnæ, abducite à negotijs,
Scriptura & ære alieno & argentarijs
Mentem, atq; condonate tantiſper mihi
Dum ſeria ardua explico Tragœdiæ.
Si quæritis quod nomen eſt Tragœdiæ,
Protogonos eſt ab uſq; rerum origine.
Non hanc Sophocles fecit aut Theſpis, nouam
Dat ciuibus primus Poeta Anyſius
Sirenis altus intèr amplexus ſuæ,

Haud Lælio uel Socrate adiutoribus.
Non fabuloſa hæc eſt nec uſpiam leuis
Sed ponderoſa & ueritate uerior.
Primis parentibus dolo captis, ſtatim
Eſt orta mors & ægritudinum phalanx
Quæ homines magis magiſq; tranſuerſos agat
Homines miſellos omne & animantum genus.
Sed quando aperta res & argumentum habet
In fronte ſcriptum oblongioribus notis
Superſedendum cenſuit conſcribere,
Ne prologus ſit ipſe prolixus quoq;
Quem perperàm haud inducit in Tragædiam,
Si non Athenis hæc aguntur atticis.
Sat ipſa ſe indicabit, ecce exit foràs,
Frenate linguam atq; ſtrepitum compeſcite.
Ipſe agere cupio laude cùm quammaxima,
Quod ipſa per licebit Alcedonia,
Audire uos & expeditis auribus
Ac uerba quæ ſunt lecta, nulla amittere.
Numeroſq;, quos feliciter Phœbi ad lyram
Factos, loqui dicatis Aonidum melos,
Deſcendit in certamen ipſe muſicum
Poeta ſæpè rettulitq; lauream.
Vos experimini atq; rem cognoſcite.

Pithò. Aretè. Chorus Angelorum. Paradiſos. Chorus Nympharum.

Pithò. IAm uicta Virtus uoce luget ultima
Luctum ſupremum, quæ artibus demens ſuis
Noſtris repugnans obſtitit cœptis diù.
Guſtata poma ſunt, ſapore dulcia
Sed mox amara funeriq; obnoxia,
„ Non pœnitentia ultimum leuat malum.
Aretè Nil uerba commouêre dura pectora,
Quæ ſæpè faciebamus aſpris cùm minis,
Sed præter aures heu uolarunt irrita.
Plus ſuada Pithò potuit inducens leues
Blandis parentes uocibus, captos, parat
Conficere dente lurido dirus draco.
Pithò. Per ſecula infinita cùm oſcitans Chaos
Sederet otioſum, iners, immobile,
Informe, & eſſent cuncta clauſa ſemina
Intus reuincta nexu inobſeruabili
Somnóq; conſopita inexcitabili,
Neceſsitate urgente ferrea manu,
Se motus explicauit illo carcere
Vt qui remiſſum, ingenij ob inconſtantiam,
Hoſtis quietis deſidiſq; ignauiæ
Pertæſus eſſet otium. ecce exercitus
Coercitarum ceù ferarum aut alitum

Clauſtris refractis excitatus ſe foràs
Quà porta patuit derepentè proripit
Confertus, unò haud tramite, undè quælibet
Res ſedulò concesſit in locum ſuum,
Suóq; honore functa læta pérmanet.
Præſtare forma uidit ut nos Iupiter
Res inter omnis, antè & ipſum forſitan
Seſe, ſuperbus, inſolens, animi impotens
Deiecit ex immenſo Olympi uertice
Liuore uictus, imparatos nos tamen.
Noſtrum in locum tum finxit homines, imperent
Qui rebus ortis uſq; uita perpeti.
Sed porrò aberrat, ecce pepulimus loco
Primos parentes, noſtro & ære iam merent.
Huc glorioſa euaſit immortalitas
Rerum illa ſcilicet. uoluptas illici
Errore comite dè latébris prodijt
In lucem apertam, ut omne conturbet ſatum
Fiatq; maior noſtra iuriſdictio.
Nexuq; mancipióq; noſter eſt homo,
Et eſſe noſtrum dico & aſſero manu.
,, Non cárcini ulcus arte cælatur diù
,, Latenſúe fraus, uentoſa nec Iactantia.
An defuit ſucceſſus? atquì Iupiter
Procedere omnia dixit èx ſententia
Dum liquat ænea aſtra, torquet circulos
Animatq; miris lùdicris docta manu.

An rebus alijs occupatur arduis?
Primis relictis fortè negligentiùs?
Dum inuadit in prouinciam haud quaq; ſuam.
Nos noſtra, noſtra ducimus, alia omittimus.
Se iactet ille cœli in alto culmine
Intèr cohortes delicatas, & ſibi,
Rebus creatis abſq; certo ſemine,
Applaudat architectus, atq; deferat
Primas ſinè æmulo. attamen uolumina
Cœleſtia ipſe fecerit nec'ne, ambigo.
Quòd præpotens tornauerit neceſſitas
Syluæ figuras imprimens larga manu,
Cúm Terra diſceſſiſſet alto ab Aethere,
Quòd corporum pèr inane concurſatio
Quæ ſint inæſtimabili potentia,
Quòd caſus ambitum fugamq; Temporis
Inuenerit ſecreta in abditis locis,
Ni fortè ſempiternus abſq; ortu fuit
Mundus ſuo æuo indeſinentèr præditus,
Occulta uis nam cuncta, ui cæca mouet,
Fert fama pennis diſcoloribus uolans,
Et fortè non à uero aberrat longiùs.
His uela uentis impleat deus, licet,
Seſéq; iactet mentis extrà limites
Diffundat & ſe pèr, licet nos quò uelit.
Nos, illa deturbata cœli uertice
Gens ſê de certa permanemus dæmones.

Nos, læta regna poſſidemus Tartari,
Noſtra eſt poteſtas ter quaterq́; maxima.

Magnúmne aliquod meditatur opus **Chorus angelorum.**
Dominus rerum cónditor omnium,
Rutila quòd non fulmina dextera
Hoſtem deuibrarit in impium,
Veteratorem, ſcelerum & gurgitem,
Illa ob maledicta, ac multarit
Duplici bárathro morte, ſub imo?
An ſic fortè fuit opus facto?
Vt permirum eſt conſilium dei,
Qui perfectè prouidet omnia,
Vice lapſorum foret ut medium
Animal, ſolidi arbitrij locuples,
Leti fugiens, Aetheris auidum.
Diuina ut lex deſcripta notis
Nitidis, quales ſyderis aurei
Matutini ſunt Hyperionis,
Patulo cœlo fixa, coruſcans
Hebetes hominum ſtringeret oculos.
Domini unica proles incoleret
Vt frugiferas terras humilis.
Anima ut ſancta parentis uirginis
Summa teneret cùm patre ſolia
Mundi ſceptrigero, ac Ioue filio.
Et deniq; ut exueret Ditis
Regna triumphans ſpolijs inclytis,

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Inuicto animo & robore uiuido.
O' qualis nituit dies
Expectatus ab omnibus
Et mortalibus & deis qui celſas & habent domos
Et regna aſtricomi ætheris
Aeterno imperio tenent.
O quali, nebulis procul diluxit radio dies.
Cano gaudia ſeculo diluxêre ferentia
Flammas ſemperamabiles,
Atq; incendia mutua
Inuitantia odoribus miris candida pectora
Et pulchrorum hominum & deûm
Et rerum ingenia omnium.
Ros deſcendet, & aureus
Aſcendet uice mutua & cœlo terra replebitur.
Teſtes lætitiæ nitent iam olim præcipui, igneo
In cœlo illa trophæa, opus
Sancti nobile Spiritus.
Duplex linea ſe ſecat
Aequis lateribus aurea,
Bis bis ſe caput explicat, res miranda uidentibus,
Non Sol pulchrius aſpicit totis ædibus hoc Iouis.
Haud ſignum temerè loco
Erectum celeberrimo eſt.
Regis o ſummi bonitas, ſaluti
Conſulens rerum, tibi laus honorq;
Eſt minor tantis meritis & illo in-
-cendio amoris,

Gloria excelſis chóreis Olympi
Sola te ſanctum decet, explicatu
O're non ullo facilis deorum
Voceq́; mundi
Præditi plena harmonia modiſq́;
Dulcibus quos non capit Orbis imus.
Mentibus tantùm licet hæc apiſci
Luce ſerenis.
Vita, lux, uerbum, ſapientia, ex ſe
Veritas conſtans, cor, amor parentis,
Aequitas, uis imperioſa ſalue
Terq́; quaterq́;
Arbiter cœli, altitonans, paterq́; &
Rex, ſator rerum èx nihilo, Angelorum
Te canunt Claſſes, reſonantq́; mundi
Nobilis Orbes.
Nos ab auguſto nitidoq́; templo
Aurei cœli tibi gratulamur,
O' quæ futura adorea inclyta & uictoria eſt.
Cóngerit anguis amara probra inq́; malis ita gaudet, at
Si exultat hydrus improbus
Lætitia inepta, illi ultio
Ad Ditis horridi eſt parata quam grauiſsima,
„ Nam fúgere nil poteſt deum
„ Qui facta & infecta omnia
„ Videt oculis clariſsimis.
Tempus iam erit, miſellus

Spoliatus omni honore
Et gloria iſta inani
Alio ôre cúm loquetur,
Noſq; micantia fulgura deijciemus ab æthere.

Para-diſus idem & Lar. *O'rebus humanis & his quæ ſemina*
Ortu tulêre occidua, cúr miſeras uices
Pater dediſti perbenigne Iupiter
Rerum autor omnium, optime atq; maxime?
Ego ortu in ipſo exiſtimabar iam propè
Felicitate par ſupernis ædibus,
Quando aurea aureus me amœnius nihil
Formoſiuſq; ut conſito Iouis manu
Sol uidit uſpiam locorum lampade.
Non planta læta flóſue defuit nitens,
Non poma odôra ſuauiſucco nectare,
Pariter alienis atq; menſibus ſuis,
Conuictor ipſe frequens adeſſet ut Deus,
Qua copia haudquaq̃ eſt opus condicere.
Deſideratur deniq; ulla non mihi
Species beatis mentibus ſpectabilis.
Ad hæc colonus omnium doctiſsimus
Conceſſus eſt à patre, quo non arbores
Aut pegit aut inſeuit ullus doctiùs,
Data illi & uxor omnium ſanctiſsima
Quæ ſit mulierum exemplar inſigne & decus,
Tum facti ad unguem ſunt quadratis artubus
Atq; abſoluti à calce ad uſq; uerticem,

Orc ut diſerti ita ſtrenui ac prompti manu

Vt quos haberet ſemper in oculis Deus.

Sed ſæpè quæ licentia afficit animos

Gradúq; pellit, cuncta uerterunt breuì

Et illa ſunt mutata luctu gaudia.

„ Humana porrò decipit felicitas.

„ Tum cum beatè eſt uita luſtrator, nouo

„ Sub flore nequa tetra peſtis excubet.

Hiſce in uiretis delicata liquerat

Non poma deguſtanda dominus omnibus,

Ipſis colonis atq; uetita maximè.

Sunt auſi iniquo numine illa cárpere

Virtute, Veritate, me inuitiſsimis.

Non ſine perſpecto ſatìs, quæ'nam ferat

Virtúſne fructus an Voluptas gaudij

Dulcéſq; & expertes doloris ac mali,

Et quîs libenterè explices totos ſinus,

Hæc mentis eſt ſatelles, illa corporis.

„ Infeſta crede ut tela munera hoſtium.

Præſente nobis nuntiantibus fore

Iſta ipſa, inexpiabile auſi ſunt ſcelus.

Nobiſcùm & unà ſentiebant omnia

Quæcunq; ſunt conſtructa naturæ manu.

Quæ ſigna non oſtendit Aether arduus?

Repentè uiſus eſt in obſcuram dies

Tranſire noctem per'q; montium iuga

Auditus eſt ululatus ingentiſsimus

Ac dicta ſi eſſet rebus omnibus dies.
Tunc uiſa primùm canere uólucris lúgubres
Funeſta cantus ánte uiſa non mihi
Ex quo larem me poſuit his hortis deus.
Conſêdit alta tegula agmen pe'ndulum
Quod promineret hoſtio domus, apum.
Locuta, diros edidit gemitus canis.
Sudo, ſereno cœlo, ab aura libero
Ecce' illa maceria repente' corruit
Quæ firmo erat prò uallo ad omnes impetus,
Nec ulla cauſa inuenta quærenti eſt mihi,
Comæ ſtetêre, uidi & horrui ſtatim.
Quidnam hæc feneſtra peruia uoluit, niſi
Magnum aliquod infortunium, exilium, fugam?
Nón fulgura atteſtata fecerunt fidem?
Oſtenta tetra obnuntiabant hæc mala,
Sed læua mens intelligebat non ſatis,
Euentus affirmauit ac uicit metum
Opinione maior atq; atrocior.
Sic cuncta, ſtrages ſingularis perdidit
Vt deliquato monte diluuies cadens
Subiectum in æquor prona, uellens robora
Radice ab ima ingentia, ſcopulos trahens
Montemq; ſecùm quæq; ſternit obuia
Et alta tecta & læta camporum ſata,
Sternit ruitq;, uaſta reddens omnia.
O'uer quod ulla obliterent non ſecula,

Dum fulta

Dum fulta tellus ſtabit undiq; æthere,
Dum ſarta ſummi tecta pendebunt Iouis.
O poma luctuoſa, poma triſtia,
Quîs nulla ſint amariora toxica.
Vtinam arbor eſſet illa in hortis non ſata
Aut aruiſſet æſtibus feruentibus.
Carpſère. furtum latuit haud diù deum
Qui ſumma & ima uidet & audit omnia.
Vehementer indignatus illos Iupiter,
Me mœnibus clauſo igneis altiſsimis
Hoſtes repentè iudicatos, propalàm
Criminibus oneratos & omnibus probris,
Pronuntiatos uoce deteſtabiles
Præconis humero alas habentis aureas
Quîs fulgur utì inanem ſecaret aéra
Ventisq; Soliſq; radijs uelocior
Detruſit hortis. horror eueſtigio
Eſt ortus, ægritudo & extulit caput.
Quæ temporis puncto óccidit felicitas?
Quó, nauis alto carbaſis plenis uias
Curſum pèr udas teneat ecquiſnam ſciat?
„ À gaudio altiùs ægritudo déſidet
„ Liquatq; mentem ea tacita recordatio.
Heheu carendum patria dulciſsima,
Terra benigna altrice, natali ſolo,
Cœloq; conſueto, & aris & focis,
Præ regna reliqua quîs habenda uiliùs;

Cùm morte, dicta pœna clarigatio eſt
Et inſuper dira addita execratio.
Hos trahere collo obtorto omnibus licet
Ad certa ſupplicia arduum in prætorium.
Quid reſtat, ira quò feratur, ampliùs
Niſi ultimo ſæuire cruciatu in caput?
Quæ uita, uita ſi uocanda eſt, interim
Vt uictimam ſacrum inter & ſaxum, manet?
Lamenta, lamenta, omnia lachrymæq; habent.
Miſella Virtus eiulans humi iacet
Lacera comas, caput ſacrum oblita cinere,
Nil arguens non culpæ amaris queſtibus
Modisq; lamentabiliq; nænia
Naturam & omniparentem & ipſum item Deum.
En Veritas confuſa uirgo deſidet.
De ſummo Olympi uertice, quò habebant iter
Remenſa retrò bis ardua in præceps uia eſt,
Id igitur incuſantur alta numina.
Heu ſpes fefellit tanta, rapta flaminum
Nigris procellis atq; merſa ſub ſalo.
Illæ hæc, inanes derelictæ in arido.
Núm fallere eſt dij culpa quàmleuiſſima?
Promiſit omnia læta nobis Iupiter,
Qua mente nos lactarit, ipſe uiderit.

Chor. Nymph. Cui terra producet parens
Fructus ſtato hornos tempore?
Cui poma teretes arbores

Sapôre nectareo ferenti?
Cúi prata pulchra ſplendidis
Vulgò nitebunt floribus?
Cúi ros & imber décidet
Siticuloſo gramini?
Cúi fons aquis trepidantibus
Argenteo ſaliet pede?
Cúi piſcis in liquido ſinu
Vaſti natabit æquoris?
Cúi rémigans alis auis
Fuluo uolabit æthere?
Cúi ceruus aeripes fuga
Errabit in lucis ſacris?
Cúi ſecla bucera? cúi oues
Paſcentur arua pinguia?
Cúi gemmæ honeſtabunt caput
Lapilluli & pellucidi?
Cúi uôce liquida cóncinent
Nymphæ canoræ & alites?
Heu nemini. ſi mors patrem ſit falce adepta iratior,
Qua membra diſſoluit ſecans.
Fugit miſellus heu pater Protogonus infelix pater
Eiectus hortis floridis regniſq; aui'tis & focis,
Extorris, expes, omnibus
Fructiſq; rebus. protinus
Ponè, illa ſequitur pértinax pedemq; pede iam iam ferit.
Pauorq; comites & metus

Turpiſq; deſperatio luctúſq; & ægrimonia
Stipendia faciunt ducis
Vltricis ac ſtipant latus.
Terrorq́; lituo pérſtrepit ſonore formidabili.
Expugnat hoc exercitu Mors omnia inuictiſsimo,
Gentéſq; corda fortia
Regesq́; ſuccumbunt ſtatim,
Vel ſint gigantum milia
Quot ſunt arenæ aut ſydera,
Armata nam Neceſsitas clauis adeſt adamántinis,
Pondóq; centum malleo terribilis ôra & brachia
Virgo toris tumentibus oculisq́; ſcintillantibus,
Immanis, atrox, parcere
Rebus creatis neſcia.
Comitata duro & agmine
Tergemina Parca. haud Hercules
Naſcetur ullus uiribus qui præpotentibus, colum
Abducat illam dè manu
Laborioſæ Virginis.
Quin pergit uſq; ſtamina
Occare & hinc deducere,
Nec ulla tantillùm quies noctù, diè, conceditur.
Præſcripta nanq; lex fuit, lex omnium duriſsima.
Mandata Protogonus dei
Si præteribit, arboris
Mala aurea uetitæ legens forisq́; & intùs triſtia,
Nil morte non corrumpitur quod eſt eritq́; poſtea

Ortum ſub æthra lucida.
Concepta uerba memini item datámq; & acceptã fidem.
Natura conqueritur parens fraudata ſpe pulcherrima,
Promiſſa nanq; æternitas iam rebus inde eſt omnibus
Ab Orbis incunabulis.
Telluris abdita è ſpecu mors proſiliuit horrida,
Heu quà figura, à calcibus
Ad uſq; ſummum uerticem
Vt ſit nihil deformius.
Non calua comitur coma, non uultus eſt ſpectabilis,
Sed omnia, horrida, ſqualida
Ipſi & ſibi formidini.
Quæ Protogone te ſpes manet? miſelláq; Androgyne?
Vos ſpiculis letalibus. (petit
Qui'd homine nam infelicius
Eſt ortum in Orbe? tot malis uallantibus miſerrimè
Corpus, animo parcentibus nec uſquequaq; nobili,
Nouáq; parant ſemper ſibi miſeranda gens mortalium,
Præter ea quæ fortûna ſuppeditat dea inconſtans, uelis,
Aufert in undas æquoris, nolis, dat ultrò dapſilis,
Prolixa, ad ea quæ ſunt mala,
Vt uita Leti inamabilis differta ſit furijs domus,
Interminato crimine.
Cóntra, miſerius eſt nihil quàm cũ antè mors uenit diẽ,
Præterq; fatum acerbior dolore cùm quammaximo
Amabilis fructus cadit
Natûra quem genitrix ferat, ductura ad uſq; nobilem

Metam datoſq; terminos.
Mutatur horâ breui fortuna momento leuis,
Inter aliàs tot miſerias.
Iſtis theatrum fabulis, conſtructus Orbis deniq;
Spectaculum eſt triſtiſsimum ſi uita morſq; diſplicet.
Nec animus hinc abeſt procul
Dum præpeditus nexibus
Inauſpicati corporis,
Premente maga adeò manu Natura, Amore & oſculis
Carpente pectus igneis,
In carcere ætatem ſitu ſento tenebriſq; horrido
Spei ſeruit & Cupidini
Vitæ Tyrannis improbis.

ACTVS SECVNDVS.

Protogonus. Androgyne. Chorus.

Prot. *Vód facinus uxor Androgyne amatum caput*
Commiſimus, confecimus, patrauimus,
Facinus, facinus immenſum, inexpiabile,
Sceluſq; flagitiumq; & Orcium nefas,
Quod abluat uix unda fluctiuagi maris?

Androg. *Quó ſydere orta ſum miſella? prô dolor*
Me teq; prodidi atq; perdidi, malè
Mi Protogone Protogone, malè malè credula.
Serò timemus anguis ictus perfidi,

Trilinguis, impoſtôris, ánte, amabile.
Lætumq; blandus, perbenignus, aureus
Qui diſſerebat mollibus ſermonibus.
Iam fixus acúleus eſt medullis intimis.
Illa uſq; uôce pérſonant aures, malè
Nobis reformidanda in omne ſeculum.
„ Mulíerum iniquo ſydere eſt ortum genus.
Culpæ arguam núm te mea uxor, neſcio, Prot.
Quando anguis illud feceras æqui, boni,
O illud os uiruſq; letaliſſimum.
Ecquá alia quæſo cauſa? non intelligo. And.
Quíd, ſi ex deo eſt? Prot.
Quid multa? me pudet malè And.
Quod nuda degam. utemur at quo' tegmine?
„ Nunc cúm caremus, illa noſcimus bona, Prot.
Quæ quanta ſint neceſſitas uehemens docet.
Deſiderare amiſſa pèr uecordiam
Heu poſſumus ſed ſpe mea uxor irrita,
„ Quàm quiſq; maximè receſſerit à Deo,
„ Tam deſtitutus opis eguerit maximè
„ Sui indigens, ſui inſciens, inops, miſer.
Id plurimùm ductu accidit Superbiæ.
An quicquam in hortis horum opus nobis fuit?
Cunctis adepti eramus ubi ſuffragijs
Omnis honores omnia atq; ampliſſima.
Incommoda orta ſunt ab illis commodis.
Percepta nobis non uoluntas ſat fuit

Deiq́; lex, heu duplici afficimur malo,
Pudore & indigentia, uſus nec uiam
Monſtrauit ullam dum, tenebris per mare
Sæuum procellis non Ioue æquo currimus,
Sub hoſte dominatúq; quàm teterrimo,
Reſonatq́; uox minantis à tergo, Dei
Corpúſq; tardat atq; pectus ſauciat,
Fruendi utriq; denegatur copia
His rebus, uſus quas proteruus poſtulat,
,, Iactura multo mentis at grauiſsima eſt.
Vix comparatio æqua cogitarier
Mentem intèr altam corpus & brutum poteſt.
Cúm nota licuit poſsidere ac perfrui
Offuſa tum animo craſſa caligo heu fuit.
Fortûna ducat, conſilium ubi hæret. Prot. ſequor,
An- *Q uanuis fuga hæc ſit morte multò indignior,*
drog. *Germana nobis cuncta, uita & mors feret.*
,, Virtus relicta triſtitiam animo parit,
Num'nam ferendum Fors quæ acerba ſufficit?
Heu heu reflauit atq; nos ſtatuit ſolo,
In caſtra uictrix heu receſsit hoſtium.
,, Fortuna tunc fluit manere cúm putas.
,, Certè ferenda quæ à deo eſt neceſsitas,
At nos libentes ac uolentes prodimur.
,, Dementiæ infortunium eſt tandem comes.
An- *,, Sapiens uel ipſa in morte ſimiliter ſapit*
drog. *,, Patientèr atq; fert neceſſe eſt quod pati.*

Non fortis

,, *Non ſortis os immutat aut flet turpitèr*
Vel nauis armamenta cuncta amiſerit
Nutanſq; colluctetur in medio ſalo.
Aut tempus huic inueniet ægritudini
Aliquod remedium, aut morte commutabitur
Quæ rebus æquo repit omnibus pede.
,, *Exanguis ipſo grauior euentu eſt timor.*
,, *Eſt portus erumnæ unus, animus æquior.*
,, *Sperare meliuſ ipſa cómmonet dies.*
Sed hactenus. nunc pérmanet ſcientia
Si affuſa dudum cælituſ tibi, uelim
Mi uir doceri, tot figuræ quid uolunt?
Quæ pallidæ miriſq; formis nos petunt
Circunuolantes, atq; miſerè territant
Syluiſq; in hiſce, hiſce & laboribus fugæ?
Qui's ille nubium colore, plumbeo,
Obliquo & ôre, & fronte turbata nimiſ?
Et mente & animo captus & ſi ſum miſer Prot.
Non obſequar non uxor hac tamen tibi
Re apprimè honeſta ac cognitu pulcherrima.
Hæc, noſtra ſunt præclara oborta pignora,
Quæ nos habent ſempérq; habebunt peſſimè.
Dudum pudore te tenéri dixeras,
Ipſe ille factus arbiter nunc péctorum
Permiſcet intùs ac Tyrannus cómmouet,
Serena uertens nubium cæcis globis,
Nutat, trépidat, emóritur ancipiti malo

Vt qui latus non deſerat Formidinis.

Anl. Poſtquàm uir occepiſti, ut inde cætera
Hæc monſtra perſequâre, te exorem, ſi'ne,
„ Eſt neſcio quid dulce miſeris, nóſcere
„ Cauſam doloris. perge perge te óbſecro.
Dolere perdiſcamus, ut qui maximè.
Pudenda iam ramuſculis uelauimus,
Prudentèr ut monêre uiſus es modò.

Prot. Simulacra pèr nos nota ut ignotis iubes
Sint uxor hæc & inde poſt nepotibus
Aduerte tu animum, nóſcere & facie ſtude.
Exempla ſeri poſt citabunt poſteri.
„ Bis peccat autor falſus, & ſibi & alijs.
„ Exempla pulchra uetera plus adeò placent.
„ Id diſcitur libentèr, affert quod lucrum.
Virgo illa fumigerula, nubibus caput
Nimbisq; cincta, inflata uentis carbaſa
Quæ credit alto pèr patentia æquora,
Leuis Ambitio, inepta, ſui inops amentibus
Quantáſ procellas excitabit gentibus.
Illa & ſuperba & eminenti uertice
Altisq; cilijs, bucca utraq; turgida,
Genis petulcis, impudentibus oculis,
Sublimis, inconſtans, proterua, péruicax,
Veſtita iactans mille ſe coloribus
Quantóſ ciebit improba Orbi turbines
Qui pectora agitent fluctibus maioribus

Quàm ſint marini, uirgo inanis Gloria.
Odioſa Temeritas ne ab hac latum quidem
Diſcedit unguem, fronte qua'ſit aſpice,
Seueritatis ac pudoris haud ſcio an
Sit inuenire ſtillam in illa uirgine,
Vt ſi petendus ſit latex è pumice,
Quam ſcire poßis filiam Ignorantiæ
Aut pérgrauis qui morbus Impudentiæ,
Matrem uide quæ illi hæret, ut pudet nihil.
Ôre illa toruo, illa comes Iracundia
Ringensq́; rugiensq́; ut lea intusq́ æſtuans
Formidine imminente catulis hóſtica
Viden' retorquet lumina ut flammantia
Manuq́ frangit omnia ac miſcet furens,
Quæ' tela tractat & minax certamina
Laceſſit? & ni uis reſiſtat cœlitùs,
Quæ perditura ferro & igni machinam
Sit Orbis, ipſum & fortè ſi detur Iouem,
Scandens repoſtos montibus montes ſúper,
Tum mente tentans denegata uiribus.
Ab hoſte amicum cernit hoc monſtrum nihil.
Quæ proxima occupauit Inuidentia
Vſq; uſq; triſtis, æſtibus uehementibus
Quot alti habent Euri'pi & actæ Tethyos
Iactata mentem quàm miſerrimis modis,
Amarulenta ſemper ac mœſtiſſima
Venena cæco uulnere ut Dipſàs uomens,

Aut tabe Seps ut uiua carpens uiſcera.
Vt terra perdat mater iſtos Regulos,
Hæc, non ſibi quàm aliȷs minus amarumq́ gerens
Virus, profunda dentibus corda appetit,
Si eſt læta fortè, accurre, nam imminet malum.
Hæc, ſaxa media findet inſtar montium,
Orbabit arua læta lætis frugibus,
Orbabit hortos flore, pomis arbores,
Siccabit ubera perimétq; pignora
Formoſa matrum, pupula uel duplici
Retundet áurei Sôlis aureúm iubar.
A' matre nequam non recedit filia
Virtutis æterna hoſtis Obtrectatio.
Quæ ſint Doloris experimur ſpicula
Petentia uſq; uiſcera penitiſsima
„ *Vt uis coruſca fulminis. ſæuus Dolor*
„ *Morſu petens & aculeis pungentibus*
„ *Exorbet intus ſanguinem, haurit ſpiritum.*
Terroŕq; paribus gráditur ingens paſsibus
Metum flagello & incutit. nulla eſt uiri
Vis, illa quin obtorpeat formidine,
Quaſſante diro monſtro Erinnyum faces.
Heu cúr Amoris nouimus non pignora
Iſtum ferocem comprimentia uinculis?
Inſtructa quibús offucy̆s ſit Fraus uide
Technisq́ ſúbdola faſcinatrix, quæ queat
Præſtringere aciem mentis, Argon & oculis

Orbare uigilantibus & imprudentibus,
Nos illa dempto ſine condolebimus.
Qui's huius euitarit inſidias catus?
Hirundinis blanditur hæc quæ accentibus
Domeſtica aſpis atq; letaliſſima,
Cultrix domorum Principum, animos ſauciat
Cæco ueneno inamabilis Adulatio.
Cui perfidia percontumax terit latus.
Fornacis illud môre, quæ intùs æſtuat
Auras coactas follibus preſſantibus
Liber fauillis cúm negatur exitus
Atróq; fumo, pectora gerens turbida
Immane monſtrum, horrendum & illætabile,
Odium eſt profundum ſemper expetens mali,
Peſtis, ruinæ. Torua at illa, rigida, trux,
Frontem, ôra, lumina. aſpra, cóntumax, ferox,
Clamoſa, iurgijs & implens omnia,
Nil penſi habens aut æſtimans quicquam manu
Sit iûre conſertúmne, graui' an iniuria,
Aes uerberatum tinniens quam dixeris,
Lis, Veritatis hoſtis eſt acerbior.
Quæ cincta ferro, dentibus frendens, fremens,
Nil non ferox ferale, funeſtum, impium
Mortalibus minatur & Cæli incolis,
Audax, ſuperbiloquens, rabida, animi impotens,
Infeſta pacis hoſtis, unquam ignóſcere
Non docta uindicare procliuis, manu

Tractans catenas, dira torquens ſpicula,
Et illa uibrans fulgura atq; fulmina,
Quæ lingua tum uix nominet mortalium,
Explórat arma artusq́; ut immanis, uides,
Ardor Gradiui pérminax belli furor
Furiarum Enyo peſſima atq; maxima,
Confúndere omnia, atq; Cœli ſydera
Miſcêre terris, aſpicis, ſe comparat.
Hæc, factionum ſtudia dira dux alet
Quîs ira nulla numinum infeſta eſt magìs,
Vt concitet quæ ſæpè natos iǹ patrem
Dulcémq; patriam & penates & Deos.
Porrecta rictum, ſqualida os teterrimo
Pedore, macie ſenta quæ & réſidet ſitu,
Confecta tabe, flens, ueterno mortua
Vel dente membra lurido appetens ſua,
Rabida Fames. aſſecla Peſtilentia
Cui ſemper hæret, atra uiſcerum ténus
Mirisq́; formis horrida, uſpiam loci
Non uirus inuenire letale eſt magìs,
Non aſpidum quas Africa ſitiens habet,
Præſentiùs natura non fecit malum.
Hæ triplici complexu, ut Orci Erinnyes
Aut ut colúbri complicantur iǹ glomus
Et comminantur omnia Orbi triſtia.
Arquatus os, artus tremiſcens Quérquera,
Tortus Lychene corpus & uomica putri.

Captus maligno gypſo articulis foris,
Et intùs, animum exercitus cruciatibus,
Secùm ferens uietæ omnia ætatis mala,
Cui ſontica albos cauſa contriſtat dies,
Morbus malignus, ſacra ſtirps Morbus ſtygis
Haud parcit ullis rebus atq; adeò ſibi,
Rebus ſub arce argenteæ Phœbes ſatis
Altimperantis filio Dei Ioue,
Non mortuus non uiuus ancipiti malo.
Vix maius hoc natura monſtrum ſubſtinet.
Qui in ſe ſuámq; ſæuit animam perferox
Dè ſêde mota mente Panos uerbere,
Tedisq; Tiſiphoneijs ardentibus,
Qui ſeſe ipſo infeſtius perfert nihil,
Qui Sôlis ortus execratur & obitus,
Qui languet, uſq; & uſq; triſtia cogitans,
Mortis timens, lucis ſerenæ negligens,
Hanc uitat, odit illam, & in ſententia
Non pérmanet, uacillat & ſe ipſum fugit,
Is eſt Furor, ſuprema ea eſt Inſania.
En ingemit quæ copia & ſinu manum
Fouet inhians, pannoſa, parca, rancida,
Siticuloſa, famelica ipſis in opibus,
Suſpirioſa, dormiens noctù minùs
Quàm interdiù, ſuſpenſa, ſemimortua,
Enecta curis, querula, egena, pallida,
Macilenta, ſuſpicioſa, gaudijs indiga,

Cui terra ſubſidere, maréq; areſcere
Et clara lux Phaëthontis obſcurarier
Cœlumq; ruere de ſupremo cardine
Semper uidetur, eſt Auaritia grauis
Cui uita multo morte ſit moleſtior,
Hæc pulſa ab Orco nec recepta quibus notis
Indignitatis atq; Turpitudinis
Fœdabit Orbem Harpyia ſordidiſſima?
  Ringens lupino rictu, bianti gutture,
Præpinguibus malis, obeſis ilibus,
Et naribus ſagacibus uenantibus
Vnctas popinas ac ſupinas ganeas
Deſitáq; pulpa aſſumáq; pulmentarium
Saltem triumphat lingere os nidoribus
Præ negligens quis deſerat uadimonium
Cauſámue amici, uel ſalutem filij,
Aut matris ægrotantis, aut uetuli patris.
Hæc nata rerum exitio & ultimæ neci,
Cloaca præputris, mephitis pergrauis,
Profunda foſſa, perauida ingluuies, rapax
Charybdis, illuuies ſacra, uoraciſſimus
Typhon, barathrum, gurges, impotens Gula eſt
Corruptam & à flammis uel eſcam quæ petat.
Hæc ſuperat omnia deſpicata nomina,
Quibus peperci, bonos ut eſſet auribus.
Hoc eſſe morbo exiſtimo nil fœdius.
Statuta merces digna peſti huic eſt tamen

Nam

Nam nata cùm ſit homo, hominis refert nihil.
Ceruice quæ uidetur obſtipa, genis
Languentibus & oculis humum legentibus
Tunicaq́ promiſſa uſquè talos ad pedum
Tam ſancta, tam modeſta, tam uenerabilis
Quam fulminantis filiam dicas Iouis,
Sic cogitabunda alta conſilia premit
Et undecunq; funditat ſapientiam.
Illa, illa peſtis atra, peſtilentior
Omniq́ peſte, peſtilens Simulatio
Qua fraude cernin' qui's dolis & artibus
Armatam acutis ſpiculis aciem explicat!
Hanc nulla uirtus præcauere ſit pòtis
Quippe illa quæ præ fronte tot ferens bona
Abſcondat intùs turpitudinis manum
Vehementioresq́; uitiorum exercitus.
Frugalitatem prædicat, manu minùs
Parcens, rapina ut ſanctius quæ habeat nihil.
Parumq́; refert ſit profanum, ſit ſacrum,
Subtractum amicis ſit, ſit aris & focis.
Vt caſta uerba ita facta ſunt fœdiſsima,
Non crimen ullum ſibi licere non putat
Atq; omnia agere prò incita libidine,
Cùm praua uiuat, recta ſemper prædicat,
Illiberalis uſq;quaq; & improba,
Diſcincta, ſpurca, ius culinam'q; olidam olens,
Caſtigat agnos aſperis minis lupa,

Caſtigat ea, feciſſe quæ ipſa peruelit
Quærit quod eſt nusq̄, ſcit & neſcit ſimul,
Ignara pulchri, amens, aberrans, deuia,
Simulacrum inane recti, imago umbratilis,
Sat eſt uideri, curat eſſe non ſatis,
Sphinx ſæua, corde duplici, dira meditans,
Venatur animos blandè & indè deuorat
Flores iuuentutis animos pulcherrimos,
Illa, illa perdet Orbem & omnia deniq;
Natura quæ produxit artifici manu,
Legumq́; normarumq́; corruptrix, boni
Grauiſſima hoſtis atq; contemptrix Deûm
Sentina ſcelerum & facinorum ſacrarium,
Nil ſani ubi eſt ſcrutare & intùs omnia,
Vt orta cæno ſub Stygis terrarum habet
Pulcherrimum Orbem, trude tantum Iupiter
Correptum utraq; pertinacitèr manu
In tartara ima monſtrum, onuſtum adamántinis
Centum catenis ſe ut mouere non queat.

Quæ delibuta amarácino, & eſt in roſa
Omnis recumbens, cuius in oculis ſedent
Et ôre, *liquefacti* Cupidinum *chori,*
Veneres nitentes, elegantes Gratiæ,
Laſciuia fluens, luxus, infracti Ioci,
Suadela, blandimenta, mille & illices
Laqueiq́; tranſennæq́; & inſuti doli,
Miſcêre mulſum docta letaliſſimum

Miſcêre phármacum uenéfica manu
Quod corda lepida ſopiat mortalium,
Quos tandem initiari ſuis iuſsit ſacris,
Ipſa eſt Voluptas uſq; tranſuerſos agens
Illos miſellos omne mortis in genus,
Nec ulla pœna terret, ullum aut dédecus
Corda obſtinata, obnoxia illis nexibus
Illiſq; nodis textu inextricabili,
Eſt ſenticoſa illa uſq; quos tangit, tenet.
Cauda libido ponè quæ ferit, ut nepa,
Virus refundens triſte uirgo triſtior,
Quæ uiſa primùm melle dulci eſt dulcior,
,, Poſt ſera nullum pœnitentia habet locum,
In bruta ubi ſunt uerſa radio corpora,
Tyrannide imperabit execrabili.
Quæ lingua cœtus explicet dignè ſatis
Illis figuris conglobari quos uides
Miſceri & intèr ſe miſerrimis modis
Et comminari rebus ultimam necem?
Miſcentur ita ut unúmne ſit caput haud ſcias
An plura, dicas hoc & illud non neges.
Non eſt ſolutus numerus & coit tamen
In diſpari illo par ita illud congruit.
Formoſa rerum inceſtat informis cohors.
Tot monſtra prorſùs imminent ceruicibus,
Ditis relicta Regia illætabili
Turbantia alta corda nigris nubibus,

,, *Fatalis eſt ſuus omnibus rebus dies.*
,, *Quouſq; mors pedem nigrantem contulit.*
Inuaſit Orbem plena, uitiorum Phalanx,
Inuiſit æthram Sôlis, atq; pollvit
Viſam, atq; Sol obnubit aureum caput
Quæ lucta deluctanda mortales manet
Iſta feroci cùm manu, hora milliès
Quæ uertit ôra ac cæca figit ſpicula?
Et, nulla ſi coerceat lex, ambigit
Nemo, eſſe mores perdituram gentium
Ipſaſq; gentes funditùs mortalium.
And. *Malè audiemus, ipſe & audiet Deus,*
Nos, ut parentes, ille, ut autor omnium,
Cùm liberi ſe noſtri in auras editi
Et liberûm propago itemq; poſterûm
Ordoq; longus & catenata ſeries
Preſſos uidebunt his neceſſitatibus,
His grauibus erumnis, miſerijsq; ultimis,
Si uera uates prædicauit mi Themis,
Vt neſciant incerti utrum eligant ſibi
Vitàmne ſubſtinere an à ſe amittere.
Quiſquam reſiſtat hiſce monſtris ac malis?
Potentibus ſit ille uiribus licet.
At noſtra culpa peperit hoc tantum malum
Hæreditate liberis non reddita,
Quam iûre non prò noſtro iniqui creuimus,
Homo ut homini ſit peſtis ac temnat Deos:

Affectibus ſe mutuò fallentibus,
Paternam & inuadentibus domùm nothis.
Ergo' audiemus, & audiet deus malè?
Obnuntiauit non ſinè
Suſpirio ſapiens Themis Chorus.
Themis futuri conſcia
Voluentibus ſeclis fore
Cúm ſe Gigantes audeant præferre contumaciùs
Ioui Tonanti qui arduos temperat axes
Et nutu Olympi immenſa torquet impiger uolumina.
Non ſeculo illo triſtius cuncta tuens Sol
Spectabit abducens faces
Nitentis ôris ſplendidas.
Viliſsima ars quæq; obteret
Vt quanq; nobilem ita antecellet inclytis honoribus.
Excelſa ſcandet luxus, &
Ludibrio uirtus erit
Accepta malè depulſa regnis & aui'tis,
Cuius uigebit in loco
Audaciáq;, & Amentia
Simulatioq; Auaritiáq; Improbitasq;.
Mutatio legum impia inter quoq; eludet
Et commeatus & bonæ commoda pacis
Commercia & mortálium.
Videbit horrida, horrida
Bella Orbis, humani nimiś
Siticuloſa ſanguinis,

Et creſcet in ſummum ſitis
Vt creſcit alta põpulus
Proptèr fluenta, aut quercus in montibus altis.
Videbit armatos patres & obſtinatos filios
Concúrrere infeſtis ſignis,
Grauibus minis, haſtis cruentis, face, ferro,
Rupto parentis fœdere
Naturæ, amicitia & fide.
Non ſancta erit lex ſanguinis rata, thalamo promiſcuo,
Natis & appoſitis patri conuiuio execrabili.
Non, filiæ uſurpato amoribus toro nefarijs.
Non, matris hymenæo, patre necato, occupata Regia.
;, *Cõmẽta muli'erũ ferat quæ' lingua? ne ferrea quidẽ,*
Quod turpe dictu eſt ſupprimo.
Hæc, antè ſeptimam, magis
Gliſcent magis, porrò ac magis,
Mundi ſeneſcentis diem.
Fameſq; ſumma ſcandet incredibilis, dum
'Aut imber importunus, aut nebula caua comes noctis,
Sol perdet urens omnia, (aut
Iugeſq; fontis, flumina
Et alta munus ac bonæ
Naturæ aquas pulcherrimum,
Aut rixa uentorum, impotenſq; Aẽõli uis
Sternet ſata arboréſq;, tum
Fructus negabit terra, nec
Dè môre, fœcundo in utero

Prolem ferent amabilem, ac pignora matres.
Non Palladis liquor ſacer
Aut nobilis Bacchi latex imbuet aras,
Spretis ſacris, ſpreto Deo ac relligione.
Placabit iram numinum non decuma rerum perditos
Conuerſa in uſus, non ſacra
Tum pompa, procurata uel
Illa illa erunt oſtenta portentaq́ꝫ Diuûm.
Religio auaris quæſtibus
Conuulſa cernet cæca non æqua ab iniquis.
Quîs cura templorum, hi manu
Tractâre polluta, ſacra, ac cæde cruenta,
Diuinam itemq́ꝫ facere rem
Ecquíd timebunt impij?
Quare ira perget tóllere
Sanctam fidem dè medio, & hinc
Quæſita conſtanti fide
Et militari gloria
Superba regna euértere,
Aequare ſummis infima,
Miſcêre, dein' corrúmpere
Depreſſa tóllere, alta démittere, prorſus
Lêge abrogata pèr ſcelus,
Almæ parentis, omnia
Peſſumq́; dare Cœlumq́; confundere terris.
Abſumet & quæ erunt, lues, relicta, in Orbis funere,
Lues modis miſerrimis,

Fames & execrabilis, Martis & ira &
Natura facta deniq; infeſta nouerca.
Matrum in ſinu miſelluli
Reddent animulam infantuli
Paſſim, parumq; illos erit fortè comeſſe
Fameq; rabieq; & perurgente furore.
Cùm peius aut Lycaone aut
Immanibus Titanibus
Se geſſerint homines ſacra & pectora Reges
Se ſeq; diuinos ferent
Poſcentq; honores Cœlitum,
Exemplo ab iſto pendet atq; ordine uulgus.
Gliſcet patrum ſuperbia
Et îra inexpiabilis,
Gliſcet temeritas Plebis &
Toleranda minùs indignitas & leuis aura
Cùm dignitate dum humilitas contendit irato Deo.
Deſerta quare & oppida
Inculta & arua horrori erunt.
Mox arte nulla ſemina
Naſcentur, atq; deuius
Fuluum ſub Indis occulet Sol caput undis.
Vertentur omnia, ardui montes reuoluent ſe in pedes,
Amnes recurrent in caput,
Depreſſa contollent gradum
Quaſſante uiſcerum ténus tremore Tellurem, cauos
Coercita anima flaminum

Intrà

Intrà ſpecus creberrimo.
Diſploſa Cœli templa tonitribus propè deorſum cadēt.
Natura, tanta monſtra ſtupefacta uidebit,
Neque rationem habere cùm rebus pōtis erit uſpiàm.
Quæ ſi ſaluti conſulat uicta timore,
Manendi erit nec copia
Fugæ patebit nec locus
Tenente Mulcibre omnia in terris Olympo & arduo.
Nil ambige, die ſeptimi interitura ſemina omnia.
Poſtilla quid facturus excelſus Olympi
Sit arbiter, ſi filium
Iouem optimum atq; maximum
Prænuntiante ſydere
Signiſq; præclariſſimis,
Demiſſum in Orbem perditum,
Pari imperio & audacia, inſignibus armis
Pugnatum in hoſtes ad diem
Vſq; illam inexpugnabiles, quem ſua regem
Chriſtumq; pèr ludibrium gens, & ſalutaſſent iocum,
Dabunt neci indigniſſimæ,
Velit'ne ſecla cóndere
Noua, his ſolutis, ſcire ſe
Negabat omninò Themis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ACTVS TERTIVS.

Némeſis, Tiſis. Polyponus. Chorus.

Néme ſis. a Liáſne res agis ſóror, ſic ad moram
,, Quid ſemper addens? negligẽtiùs qui agit,
,, Aut eleuat negotium, ipſe aut non leui
,, Vitio laborat mentis ac ſocordia.
An fortè, non, ut ánte iudicauimus,
Malum, parentes quod obierunt, iudicas?
Malum expiandum, uindicandum & omnibus
Modisq; & exemplis, ut indè intelligant
Aeuo ſequenti contumaces poſteri
Quid tranſgredi mandata ſit Regis ſui.
Næ Tiſi es immemor recepti muneris,
Nam quid, malùm, impudentiæ? promittere
Multa ôre, re præſtare quampauciſſima.

Tiſis. Non immemor mandati amata ſum ſoror,
Nec negligens ſum adeò recepti muneris,
,, Nil turpius certe eſt quàm amicum fállere,
,, Fraudare ſpem, uiolare perſanctam Fidem,
,, Preſertim ubi pulchra miſerè nutat ſalus,
,, Salus ualentioris expetens opis,
,, Amicum amico adeſſe munus eſt dei,
Perpulchrum ut hoc ita illud eſt fœdiſſimum,
Obtuſo an adeò ſum ingenio ut hæc neſciam?
Tu uera ſi auribus benignis audies

,, Nam uera loqui ea dulcis eſt Symphónia,
,, Haud lingua pretio penditur, ubi ſides adeſt,
Non forſan indignata ſic eris mihi.
,, Nil afficit dolore honeſta pectora
,, Aeque atq; falſò eiuſmodi inſimularier
,, Probriq́; contumeliæq́; & criminis.
Noli obſecro inclementèr iǹ nos dicere.
Auſculta amábo non iniquis auribus.
Ego à te ubi digreſſa ſum, conſiderans
Quantum oneris humeris eſſet impoſitum meis,
Ne ſarcinam ſubirem iniquam uiribus
Curis premebar, nec quid agerem tum ſatis
Liquebat. interim ecce ueteris & boni
Iǹ mentem amici Polyponi uenit mihi.
Dum quæro & hunc expecto & áuoco à ſuis
Cœptis negotijs, bis & ter nuntijs
Miſsis ſcytharum àd uſq; inacceſſas petras
Vbi ille opus faciebat, haud ulla eſt mora
Oblata, pede celerrimo huc ſe contulit
Magnis itineribus remenſis, ſedulò
Facturus imperata. fors̀ moræ minus
,, Pigebit: experire. pulchra res diù
Latêre neſcit. hoc laborioſius
Eſt nil & indefeſsius, Némeſi ſoror.
Si iǹ familiaritatem hic inſinuauerit,
Illa arte culmen obtinere dixeris.
,, Scire omnia unum neminem ſinit Deus.

Suſpenſa pectus uerba molior Dea
Tricata cùr ſim opinione longius.

Nem. ,, *Perſæpè quæ laudanda ſunt, proſcindimus*
,, *Dictis amaris , omnibus conuicijs,*
,, *Prauaq; mente & iudicio iniquo admodùm,*
,, *Opinioni ſeruientes plus ſatìs.*
Illa excidiſſe uerba àb ôre pœnitet
Effuſa pèr animi, iræ & impotentiam,
Vt dicta nollem ita deleo dè memoria.
Non abſq; rem commenta es egregiam deo,
,, *Amicum ut odi nequam ita frugi deamo.*
Peperceris mea T*iſi . tu ter & quater*
Polypone ſalue , te aduenire gaudeo,
Atq; eſſe nobis præſtò , ego haud inſomnio
Potuiſſem hoc optare quid iucundius.
Aduentum ego opportuniùs quenquam putem?
Res tanta fortem poſtulabat pol uirum.

Poly. *Quid eſt* Nemeſi *quod mea opus opera ſit tibi?*
Audire aueo, adero impiger, dicto audiens,
Decurſa ſunt ergô huius immenſa ſpatia.
Hoc incidiſſe gaudeo tempus mihi,
Vbi certa ſigna oſtenderem occulti antea
Amoris ergà te atq; T*iſim , quas* Deus
Obſeruat atq; honore præcipuo colit.
,, *Sunt illa amanda plurimùm quæ amat* Deus
,, *Spectata ſingularibus uirtutibus,*
Si lingua mi tarda , manus eſt operoſior,

Nullis coactis eſt opus operis mihi
Vnus ſat ipſe ſum omnibus laboribus.

Polypone, rem odioſamq; & infandam audies, Nem.
Da mihi operam aureſq; obſecro attentiſſimas.

Amoris alto incendio adductus Deus
Parentis atq; nomine optatiſſimo,
Prolem beatam procreauit in ſacris
Lucis Olympi, quæ imperaret omnibus
Rebus ſub arce argenteæ Phœbes ſátis
Ipſum ſecundùm ſe, pater nam pinxerat
His penicillis hanc & his coloribus,
Aut cælo ad unguem, ut ôre formoſiſſimo
Se ſe referret atq; imaginem ſuam
Nobilior antè Cælitum omnes Principes,
Qui's illud inſtar explicet dignè ſatis?
Succenſus eâdem Amoris artifex face
Sapientia illa cui eſſet & ſolertia,
Eſt fabricatus machinam ſua manu
Mundi abſolutam, ſyderum lætam comis,
Splendore, magnitudine, ætate integra,
Spirabilem intus, atq; rebus præditam
Miris figuris atq; miris uiribus,
Surſum deorſum uerſum & admirabilem,
Cælum cyclis conuertitur, Tellus cubat
Nocti & die librata, temperent uices
Qui rebus humido hinc & illinc arido.
Ex hiſce diſſoniſq; & aduerſis modis

Deo magiſtro proſilit Symphónia
Indeprehenſa inexplicatis auribus.
At quid foret, feciſſe tot ſpectacula
Quæ nulla fari lingua rite ſit potis,
Si laus abeſſet, quæ deceret maximè
Opuſq; & operis architectum nobilem?
Quot res, tot eſſe deputa præconia,
Sint quippè quæ germanæ amore mutuo
Et coniugatæ ſic ut alia aliam trahat,
Abiectior quæ habetur, ea maius parit
Non imperitis mentibus miraculum.
Omnes feruntur deniq; unum inſignius
Ad ſignum, uti mens dextraq; ſagittarij
Id ſpectat unum, id uiribus totis ſtudet,
Contingat æſtimator integer modò.
Signum umbilico ſtatuit in medio Deus,
Muniuit arcem ille hanc inexpugnabilem
Soliſq; amicis peruiam, actis hoſtibus.
Permira dignis hæc ferat qui laudibus
Inuentus homo, cui corpus eſſet & animus
Tellus ut eſt cœlumq; mundo altiſsimo,
Vtrunq; certe honore inæſtimabili.
Vtraq; altérius imago inobſeruabilis.
A' ſôle mutuatur ut decus ſoror
Sic corpus ab animo, undè honoris tot uices.
Erecta moles corporis ita animum decet
Turrita utì decet hominem regem domus

Auro renidens & columnis & ſignis.
Deuinciuntur arte menſuq; inuicem
Diuerſa licet, amore mutuo & ſe amant
Incomparabiliter, ea & concordia
Sub Rêge qua æquo fruitur æqua ciuitas.
Sublimis aurigatur ac binos regit
Ratio feroces aſperis frenis equos.
Vitæ pèr æquor ſarcinam dulcem uehit
Corpus, labore gaudet & ſeruit libens,
Vectrix magiſtra dirigit curſum cata.
Quàm res potens ſit homo ſuprà eſt adeò fidem.
Hic noſcit unus atq; amat pulcherrima,
Demiſſa funis huic, Olympo eſt aurea,
Menſura numeris abſoluta & omnibus,
Ratione itemq; oratione & robore
Hic pollet ante cuncta in Orbe cóndita,
Succumbit animans omnis huius uiribus,
Ceduntq; montes, alta flumina, æquora,
Hos æquat, hæc auertit, illa compedit.
Cœloſq; mente ſcandit, aſtra & ſuſpicit,
Connectit atq; rebus ortis præſcius,
Pulchri boniq; interpres, arcana intima
Hic Cœlitum rimatur, ignorabilem
Deumq; noſcit, uoluit id pater quoq;
Quæ ſumma uirtus atq; bonitas eſt patris
Sobolemq; in ipſam feruidus miruſq; amor
Hic cogitare acutè & eloqui poteſt.

Sunt ſumma in hunc collata deniq; omnia ad
Benè & beatè in hocce uiuendum globo,
,, *Felix cûi nitet omnibus radijs deus*
Virtute ſe exercente perduellibus
Fuſis, fugatis atq; Tartaro óbrutis.
,, *Felix cûi paria corpus & animus facit*
Qua humana ténus intenditur felicitas.
Ingratus iſte aduerſus immenſa hæc bona
Quæ utenda deus ac poſſidenda tradidit,
Fundum quod ortum eſt cunq; nanq; traditum eſt,
Erroris hauſto poculo, iuſtiſſima
Mandata domini tranſiliuit.

Poly. *Impius. quæ nam dedit mandata?*

Nem. *Quàm facillima,*
Seruauit hortis arborem ſibi deus
Dè tot puſillam, cuius interdixerat
Eſu colonis. uir ſuáſu coniugis,
Nam præter hos nemo unus ibi in hortis erat
Quos uel ſua conſtruxerat manu deus
Præſtantia atq; forma inenarrabili,
Eſt auſus illa uétita poma cárpere
Prudensq; rerum lêgis & duræ nimis,
Nam pœna erat propoſita erantq; præmia.
Si rem putamus, uilis illa ſit quidem,
Sin' facinus, hoſtimentum an ullum ſit ſatis?
,, *Et ſæpè dè ſcintillula altum incendium*
,, *Videmus ortum ac pérdere ingentis opes.*

Dum cárpere animum intendit, arbor ilicò
Eſt uiſa retrò refúgere impuras manus.
Qui illuxit ater teſtis eſt locuples dies
Atq; inſuéta nûbe nox quæ impalluit.
Procellæ inuſitatæ obortæ ſunt ſtatim,
Concurrit Edois anima Auſtro feruido
Stragesq́ terræ incubuit & ponto grauis.
At ſpreuit ille oſtenta ſecurus tamen
Ac ſi, deus nec'ne eſſet, in dubio foret.
Portenta procuranda ſacris omnibus Poly.
Sanctisq́ fanis, hoſtijs maioribus.
Eſt porrò ita. orta calámitas mulier uiro eſt.
Quantum eſt malorum iſtæ architectantur probè.
Bonum uidetur mulier à ſuperis datum
Cúm ſit malum, peſtisq; ineuitabilis,
Non forma forma, ſed uenenum eſt aſpidis,
Nihilq; ſanum prorſus intùs & in cúte eſt.
Sapientior quæ habetur hanc caue magis,
Vt ſit benè illis qui teruntij æſtimant.
Qui'd, contumelia igitur accepta deus?
Incenſus iracundia? at quid obſecro
Eſt lêge cautum?
Morte pœnas ut daret, Nem.
Præterq́ mortem, quicquid eſt laboris &
Ærumnæ & omnis calamitatis & mali
Perferret & pateretur expes ac miſer.
Denuntiata duxit hæc nauci improbus,

Occaſio abijt, mœſta pœnitentia
Vix extulit cæcutiens grauidum caput.
„ Qui rectè agendo poterat eſſe par Deis
„ Habentibus cœli beatis regiam
„ Peccando is eſt redactus ad inopiam meram,
Hominis miſelli conſecratum eſt caput.

Tiſis. Nequeo ſatis mirari ineptitudinem
Atq; impudentiam, facere fucum Deo
Si fors putabat clanculúmue imponere
Nam non pèr errorem aut per ignorantiam
Hæc eſſe facta dixerim, quare in ſcelus
Irata ſunt iüre optimo alta numina.

Poly. „ Vis eſſe nulli apud ſecundus Principem?
„ Ex eius ôre comparato tu os tuum
„ Præterq; proptèr nilq; agendo perperàm.
„ Præſcripto agit qui & rectè herum ſibi obligat.

Nem. Haud aliter ira, cœlitum exarſit pater,
Quàm cúm coruſca Aether procella côncitus
Crebro ardet atq; fulgure atq; fulmine
Terrasq; tangit atq; uexat turbine.

Poly. Huc fortè pertinebat opus ad Caucaſi
Prærupta ſaxa, iuſſerat quod Iupiter
Omni apparari cura. at ipſe uiderit,
„ Scrutari heri nam curioſiùs animum
„ Ineptus eſt labos, & eſt dementia,
„ Odiumq; iüre prorſus optimo parit,
„ Obſeruet & quis alta conſilia dei?

Tu mea iubeto, iuſſa mi capeſſere
Cum dulce, tum diuina Tiſis præcipit.
Mandata iuſta dulce ſeruis exequi. Tiſis.
Atq; illa præcipuè, manent quæ præmia. Nem.
,, *Maiora quiſquam ſperet unde præmia* Tiſis.
,, *Quàm Rêge ab optimo atq; maximo Ioue?*
Polypone, legi obtemperabimus Dei, Nem.
Curas ſequáces, pallidas formidines,
Animi procellas fluctuante pectore
Doloris æſtu, perditas libidines,
Artes auaras exitia prorſùs mera
Et denique expedire fas eſt omnia
Quæcunq; Tiſi comparari eſt undiq;,
Quæcunq; noſtra cogitare mens poteſt
Aduerſùs iſtos, impios, nefarios,
Mandata & auſos ſancta uértere domini.
Magno uoluptas ſtabit & liguries.
Non multa dicta unus decuſsis erit ouis.
Terris'ne pinguibus, an in undis æquoris? Tiſis.
Ibiq; & alibi & omnibus locis, ubi Nem.
Labore homo exerceri abundè ſit potis.
Ex hiſce factis hæc reportet præmia.
Quod parturiſti iandiu tandem pari.
Labor omnis exantlandus eſt mortalibus.
Laudabit operam pulchram opus pulcherrimum. Tiſis.
Quærendus eſt labore uictus & manu.
Tegetisq; ergô & pigri frigoris hyeme in gelida Poly.

Nemore in denſo & montibus atq; umbriferis lucis
Tilia ſcindenda fageíq; & robore duro
Cuneis opus eſt ſolidis, magno & pondere malleo,
Ancipitiq; ſecuri quàm acie rigida maximè,
Nitido chalybe & craſſo ferro atq; habili capulo
Exercebitur homo ut eſt meritus, ſarcinam & humeri
Portabunt onere iniuſto, at ego haud quicquā miſerans
Cogam ſtimulis ire uiam atq; iraſci in ſuperos.

Tiſis Laboris arma habemus inſuperabilis
Ferraria hinc & fabrica artes nobiles
Et inde cæmentaria, ánte ſed potens
Pollensíq; multo eſt cultus aruorum ſacer,
Non ſponte Tellus cuncta, non ſyluæ ferent,
Nec melle ut ánte flumina & uino fluent.
,, Meliora quæ ſunt aſperi illa plus habent
,, Superanda ui labore & hominum plurimo.

Poly. Ager eſt homini miſero cùm ſudore colendus
Multo ſcilicet, incredibili cumq; labore,
Humus id rudis à natura ut uideatur cóndita,
Raſtros ecce uidetis rigidos, telluricrepos,
Auritum & aratrum, ſociosíq; triones geminos,
Et ſarcula quæ attenuent uires ualido corpori,
Panſas palas, bronchos raſtellos & furcas
Et tribula tam areæ iniqua & crates ruridomas,
Corneaq; Biuilla retorquenda toroſis brachijs,
Trabeasq; tigillis affabrè impactis ulmeis,
Turritaq; plauſtra uehasq; rotis circùm & radijs

Nectentibus axi robuſto æratas apſidas,
Corbes, cúmeras, cophinos, culeos, incernicula,
Cacabos, obbas, doliola, truas, præla, lacus, cados,
Piſtrina, trapetes, orcas, tympana, labra, molas,
Sexcenta, uacet, ſunt alia quæ ego in medium attulerim:
Solertis egeſtatis commenta exercentia
Penitùs uitam uſq; fores ad leti mortalium.
O quæ ſuſpiria qui fumabunt & anhelitus
Languentibus ac defeſsis porroq; exanimis
Tractando hæc inſtrumenta laboris inexhauſti?
Quærebat, affatim atq; abundè homo habet, Nem.
Lauta hunc ſupellex hæc manétq; hæreditas.
Tantum ob laboris ut penoris adſit ſatis
Cellæq; Bacchi cui uoluptas eſt comes.
At creſcet ubi luxus, auaritia & itèm ambitio, Poly.
Vitiumq; profundum gutturis, omniuoli & uentris
Et quod tranſuerſos dè recta agat animos protinus,
Non tot, frondeſcent ſexcentæ frondibus Ilices,
Quot erunt arteſq; inſtrumētaq; quæ hominē exerceāt
Noctes atq; dies ſinè fine laborum aut termino.
Tu iſtiſce miſsis leuibus, exéquere ardua Nem.
Feſtinat ad ſuprema nanq; mihi animus.
Polypone macte inſignibus uirtutibus
Inſperge nubem omni ſereno turbidam,
Molire tandem quicquid eſt formidinis,
Nec uota tardis audiat mors auribus
Nam ſæpè inani mors uocabitur prece.

,, Bonum reliquit ſtultus auferat malum.
Ignóſcere eſt non cuiquam, ut eſt perſcripta lex,
Paulatim ad illa extrema mens eſt aggredi.
Chorus. Dira perſuadet hoſtis dira dira ſcilicet
Atq; atrox Clementiæ hoſtis atq; Miſericordiæ.
Neſcit ira parcere Vltioq; & Indignatio.
Quid niſi horridi iſta monſtra ſint putanda Tartari?
,, Qui ſuopte prorſus ingenio eſt malus ſibiq; habet
,, Imperatorem aut magiſtrum quamfacillimum, poteſt
,, Scire, de malo fore hunc licentia deterrimum.
Poly. Amor hinc & habendi ut creſcet ueſana libido
Rabieſq; amens, facere nihil omittet auaritia,
Nihil audacia præceps, animæ prodiga rapidos
Fluuios prolixis tranſmittere Lyntribus & ſuas
Pro ſe quiſq; imponere merces, alias peregrè
Inde referre domum. quapropter nulli parcere
Vehementiq; periclo, malo & in mortis foribus.
Maris hinc iter inſuctum, formidabile & inuium
Perq; procellas ſæuas perq; frementia flamina
Scopulis leti plenis pelagi dorſa tenentibus,
Quærere uentorum, nauis conſcendere fragiles,
Exponere ſe & canibus maris & turpibus Orcis.
At quæ audacia tandem iſtis, quis furor inceſſerit,
Nutantia tecta ædificandi, undantia maria
Intrandi, trata laceſſendi examina mortis
Cui pollincere uetet turbidus Ennoſigæus,
Ipſemet homo non ſatis ore pudenti olim referat,

„ Malum opes miſerabile ſed plus optabile nimio
„ Si áditis pergunt ire pericla periclis obuiam.
„ Creſcent hæc quottidiè creſcit ut herba irrigua
„ Fontis proptèr aquam ſolo in ubere ſub Ioue læto.
Vultis tergeminæ ſtultitiæ expediamus quoq;
Tela frequenti ſtudio quæ hominum tractet leuitas?
Hamos omne uidetis genus & fúſcinam & anchoram,
Retia linea naßaſq; ſalignas, hinc orias
Multipedes pontum contemnentes nauifragum,
Hinc lyntres ferróq; dolatas ancipiti arbores.
Parte ex alia uulnifico uenabula chalybe
Splendentia, robuſtis ornamentum manibus
Spumiuomos quo petat apros toruoſq; Leones
Informeſq; Vrſos uenator opacò in nemore
Operæ aucupio imbelli ut multum eſt, ita lucri parum.
Aſt otij non eſt tantum tædetq; referre
Curas uentoſas atq; adeò pretioſi grauem
Iacturam temporis, impenſamq; laboremq;
Odioſamq; animis pulchris rem, uanum ob ſtudium,
Ne dignus ego æquè ſim lacu ad uſq; labrum ſummum,
Nam magna ſequenda mihi ueſtrum edictum memini,
Id quod facio atq; adeò obnixè, nil præterea.
At tanta ob hæc mortalibus ſcelera impijs Nem.
Debetur aſpra pœna & immenſum malum.
„ Pericla qui ultrò quærit, ultrò adinuenit
„ Parata, uoto nec uocanda, nec prece.
Ob id arma inuénimus egregiè aptā ad nequitiam Poly.

Ornandam, amplificandam, referendam intèr ſydera,
Quibus uſibus accepêre homines dementiſsimi,
Quaſì non manum haberet Deus & quiret deÿcere
Turris capite aſtra petentes hominumq́; ſuperbiam.
Alia ars aliam pariet cruciatibus perpetuis.
Atq; ut uariabunt res uariabunt ita ſtimuli.
Quæ non ſcopulis fodiendis ferrea ſunt nobis
Et rutra inuenta & ſcalpra, dolabræq́; & uectes,
Marræq́; retuſæ quæ quatiant uiſcera montium,
Paxilliq́; ſudesq́; bicipites fulmina Mulcibris,
Térebra & cocleata, & runcinæ prærigida acie,
Serræq́; perargutæ robuſtis aſſeribus
Findendis, compingendis credibili haud facie
Ipſi mihi cùm ſudore laboréq; quàm maximo:
Animorum ùt concedatùr nulla relaxatio,
Onus ad ſenÿ uſq; ubi mortem quam uocitent, fugiant.

Nem. *Laborum abundè eſt pérditis mortalibus,*
Laudare in os uos nolo aperto in æquore,
Iam ſigna conferenda, dempta ſunt, mora.
Supplicia, cruciatus ſoror Tiſi explica
Inuſitata ac plena mala formidinis,
Mauortia arma dira, tetros cárceres,
Neruos, nomellas, cómpedes, boias, cruces,
Vncos, eculeos, Mulcibris ſubuculas,
Lamnas, catenas, táureas, ergaſtula,
Taurum Agragantis, dolium Carchedonis
Aut his laborioſiora, denique

Omnes

Omnes furores Ditis implacabilis,
Aduerſa tela animantia omnia inſtruant
Hominis neci exemplis parata peſſimis,
Maculoſa Tigris acuat iras igneas,
Hiena, Manticora, malum inſuperabile,
Chimæra, dubiam quam Leo & Draco facit.
Atq; his Tyranni ſæuiores, lex quibus
Dira eſt uoluntas ſemperexpetenſmali.
Per omnia ut tormenta formidabilis
Pedem nigrantem proferat mors, ultimum,
Mors terribile malum omnium & grauiſſimum.
Factis fore hæc maiora quàm lingua effice,
Audire fuerit ſat, uidere geſtio.
Sed ne teramus tempus eſt properato opus.
Laudabis. Nem. Ita uelim. Poly. at ego aggredior ad Tiſis.
Tua eſt opera, calleſq; odorariſq; ita hæc (opus. Nem.
Per luſtra denſa canis uti uenaticus
Veſtigia feræ. ego Tiſi de hiſce te adeo amo.
Me dicito ignauiſſimam ni abſoluero. Tiſis.
Faxo, nihil deſit homini iſta e copia,
Aut ſi quid ultra eſt, progredi quo adeo queat.
Hinc libera affectatur in Cœlum uia,
Hinc certa rerum eſt omnium ſcientia,
Hinc ſumere abſq; fœnore eſt quantum libet
Si deeſſe quid putauerit libidini.
Hic fomes haud defiet ullo tempore
Male feriatis hiſce uitæ nundinis

Dum terra ſtabit, aſtra dum nitida leues
Mundi rotatus lêge conſtanti uehent.
Eſto uſq; uita & uſq; calámitas mera,
Alia alia album peior aſpiciet diem
Aſpiciet aſpectumq; deteſtabitur.
A lachrimis uita orta pèr lachrymas eat.
Nil deniq; eſt quod non negotium loco
Homini faceßat, ipſa quin Virtus quoq;
Pietas, Fides, Religio & Obſeruantia,
Et quæ Voluptas mollius terit ſolum.
Dolebit indolentiæ doctor magis.
,, Gliſcit fouendo uitium in alto pectore.
O' quot Tyrannis gemmæ in auro & purpura
Ornant foris cubile, at intus éxcubant
Nepæq; & angues, nempè curæ pállidæ
Verſantq; corpus, cordis & reſerant ſeras,
Pelluntq; ſomnum prorſus ab oculis procul,
Magno lucro apponendum ut homini ſit mori.

Chorus. *Nemo tam inuicto pectoreq; & manu*
Tam eſt indefeſſa quin gelido metu
Prorſus torpeſcat, tris furias uidens
Et monſtra hæc triſtis triſtia Tartari
Inſtructumq; agmen àd ſcélera omnia.
Quantós theſauros effodiunt malorum-
-Et quæ' commenta in perniciem grauem
Humanæ quærunt prolis, & omnium
Rerum quæ ortæ ſunt illius uſui,

Nam qui prædurus cunq; labor fuit
Hamata aut quem mens cérnere ſit pŏtis
Orbi eſt immiſſus, qui ſinè perpetim̀
Fine exerceret corpora, nec tamen
Diuinæ luci quam deus abdidit
Aſpirans intùs, parceret improbus.
Quaſſaturq; alta arx ariete plurimo
Occiſa atq; omnis ſpes nitida eſt opis.
Quás tempeſtates hórrida ſydera
Perflant dè cœlo, quæ omnia differant
Nec primis parcant ſeminibus ſátis.
Non illis uiſum non fuit hoc ſatìs,
Quærunt ſtirpem pèr ſupplicia omnia
Perq́; omnis pœnas pérdere, pérdere.
Quod, non armatur ſi domini manus,
Diuinam pergent pérdere pectoris
Scintillam templis atq; Erebi ábdere.
Rei ſummæ iacta eſt alea an ultima?
Si par eſt uis, ſi tu & pater unus es
Atq; idem pulchris igniculis Amor
Aeterno æternus imperio Deus,
Ni feruens flammis intepuit calor
Quæ tu feciſti ne pátere óbrui,
Plantæ illa exiles, tu agricola es deus,
Tu Sol undè hic eſt uitæ adcò dator.
Res creata te obſecrat
Vna, pulchritudine

Quæq; inenarrabili,
Mundus ipſe & óbſecrat.
Cuncta cóngeras licet
Quæ fuêre, ſunt, erunt,
Antè poſtq; ſecula,
Omnium pulcherrimus,
Quippè qui exemplar te habet,
Et deûm & hominum eſt domus,
His tángere caſsis non precibus,
Hæc audi auerſis non auribus.
Pater & rex Iupiter omnipotens.

ACTVS QVARTVS.

Protogonus. Androgyne. Metanœa. Eleos.

Prot. *Ortem liceret ſi antè præſcriptam diem*
m *Conſciſcere, ipſe parcerem parùm mihi.*
Coniuncta culpa cum malo eſt grauiſsimo
Quando hiſce nos ſceleribus adeò obſtrinximus
Deliberatæ mentis ex ſententia.
Stulti, inuenire qui hic putauimus bonum.
Quare omne regnum, cuncta noſtra commoda
Euertimus repentè pèr dementiam,
Pèr crimen haud obſcurum, apertum pèr ſcelus,
Soletur ut res nulla turpitudinem
Facti, atq; noſtram rerum egeſtatem omnium.

Me miſerum, honeſtis legibus non parui
Quas non ſine asperis minis, longis notis
Incidit æs in lucidum rex Iupiter.
Vnum reliqui plura dum quæro miſer,
Vnumq́ & omnia, abſolutum, præditum
Sapientia & bonitate inæſtimabili
Incomparabiliq́ pulchritudine.
Illo reperto ſtultus ultra quæritat.
,, Heu lubricum leuis habet improbitas iter.
,, Petulans, procax, amica multitudinis
,, Ignobilisq; & impedita uinculis.
Bono relicto inuenimus igitur malum
Præterq; fatum Olympi & mentem Iouis.
Fruſtrata ueri heheu imago nos fuit
Quæ prima uiſa ſunt ea magis diſplicent.
Per maximam imprudentiam peccauimus
Dedecore operta facta ſunt noſtra omnia.
Vbi mens erat tum noſtra, uæ miſero mihi.
Fatale nebat cum phalangium necem?
Cur nigra radix flore candido, manu
Non uulſa nobis hiſce præſidium malis?
Multo magis me cauſa quam euentus mouet
Ebulliente æſtu doloris animum edo,
Tum conſcientia urit, affligit, necat.
Num qua uia reſtat, qua explicemur his plagis?
Num uita deplorata? & omnis occidit
Prorſus ſalutis ſpes acerbo numine?

Ad fata iam damnata iam rapit dolor,
Ad arborem infelicem, ad édita rupium,
Cedamq́ue uita quam profudi perperàm.

And. *Vna eſt relicta ſpes puſilla forſitan*
Facinus ob indignum impetrare lachrymis
A patre ueniam patre clementiſſimo
Quæ fecimus, feciſſe ſiquidem pœnitet;
Vix poma dimidiata mæſti abiecimus.
Non cauſa certè noſtra nos tutabitur
Deſerta, conclamata prorſus, ac mala,
Sed Spes Iouisq́ue nata Miſericordia
Et quæ obſtinata pectora expugnat Fides
Quæ lenitas eſt patris, & clementia.
,, *Quod ſit bene, experire, uel uertat malè.*
Heheu ferox Neceſſitas urget mori,
Te mortuo quid ipſa ſim? prorſus nihil.
Cúr non didicimus, dulce quàm ſit uiuére?
,, *Maleuiuere miſerùm, malemori eſt miſerius.*

Met. *Permagna ſint admiſſa quanuis crimina*
Benemeritum aduerſus Deum & patrem optimum,
Androgyne ego accedo, illius ſententiam
Proboq́; nihil enim eſt patri proprium magis
Quàm pœnitentibus ſubinde liberis
Errata condonare itemq́; ignoſcere.
,, *Si corrigis, peccaſſe, ſæpè profuit,*
Hæc eſt ſecunda laus. nihil delinquere
Cúm prima ſit, felicitasq́ue & gratia.

At nulla ad Orcum eſt impio emendatio.
Orci timendum pertinacis compedes.
Damnata mors, àd Ditis, exempla inuenit.
Iniuſſu, abire dè loco haud licet, Dei.
Non nidor ullus allicit tantùm, Deum
Lectæ bidentis aut iuuencæ candidæ
Quantùm profundi cordis è caula preces.
Vtrinq; mentis utriuſq; fit ſtatim
Congratulatio ôre inexplicabilis.
Hoc ſumma bonitas præter omnia expetit,
Hoc, nectar ut ſuauiſſimum pérauet Deus,
Nullo labore accurrit ac ultrò fauet
Fatumq; uincit, mutat & bono malum.
Hac ſemita excelſiſsimum itur ad Bonum
Monſtrante mentis lûce præclarè uiam.
,, Res ſacra conſilium eſt, cape ergo ſi placet
Sitq; hoſtis ut materia uirtutis, face.
Si me audies cunctaberis porrò nihil.
Portum ſalutis càrbâſis plenis pete.
,, Prædura, uirtus uincit omnia pértinax.
,, Vtranq; tempeſtiuâ diligentia
,, Dormire in aurem acto labore, præcipit.
Num uera ſint tu pérputa quæ diximus
Sapientia obſcurata ni eſt prorſus tibi,
Alasq; porrò amiſit animus nobilis.
Eia age moras abrumpe, quod uertat benè
Obtemperato coniugi cariſsimæ,

Quæ tela contorſit, ea uulnus confouet.
,, Sæpè mulier ſententiam dicit grauem,
Facito omnia, uxor quæ monet ſanctiſsima,
Curisq; & his miſella reſpondet malis
Felicitatis ſempèr illius memor.
,, Aequale nil mortalibus dedit Deus.

Prot. *Faciendi habebam in animo, habemus auſpice*
Te nunc magis magisq;, quandò ab aureo
Demiſſa Cœlo es diua, coniux procide,
Procumbe humi, fœda capillum puluere
Terramq; quam calcamus ôre comprime.
Imitâre me uxor, atq; uoces excipe
Et redde paritèr ôre lamentabili.
Quo te ôre pater orauero?
Quis alloquar uerbis pater?
Quibus oculis te aſpexero?
Qua te facie adibo pater?
Non audeo oculos tollere,
Non audeo ôra ſoluere. At quæ ôra? ôra quādariſsima.
vultus, oculi, uerba heu cadūt. uox, ligua, mēs obtorpuit
Dè culpa amara diſtrahor animū omnibus cruciatibus,
Præuaricator, legifragus, hoſtisq; capitaliſsimus.
Ne domine bili prò tua quàm mouimus nos plectito,
Redi redi ad clementiam dulcemq; manſuetudinem
Oſtende frontis & iubar,
Sint abſq; te ne perperàm cùm lachrymis fuſæ preces,
Mea dolentis dè gena lachrymæ cadunt buberrimæ,

Nec

Nec ſomnus illam conſpicit,
Hærentq; ſæpè ut pupulam
Stillare credas ſúccinum.
Heu differor doloribus mactantibus animum metu
Orci retrorſicorporis,
,, Doloris arreptus tacêre qui poteſt, cruciatibus?
,, Vel inanimis præbet dolor uocem dolorinuntiam.
Interpres animi ligua quæ uult ſenſa nō facilè exprimit.
An noſtra nequicquam tuam
Implorat ardens uox opem?
Implorat, eſt ſeu clara Sôlis lux ſeū intempeſta nox.
Si morte me multaueris damnatum in inferna Styge,
Quis laude te inſignem feret?
Laboro ego gemitu ultimo rigoq́3 terram lacbrymis,
Confuſa ſuntq; lumina
Et rauca facta gúttura
Et preſſa uox eſt faucibus
Et interemptus ſpiritus,
Vix corporis compage ſignum nominis relinquitur,
Vt fulgure afflatus iacet ſepultus in pectore animus,
Quid alba cúm oſſa liquerim?
Exbauriam infelix dolorum ad Orci, ſentinam lacus,
Aeratiportæ Orci lacus?
Miſerere miſerere Domine.
Nobis ſcelus ne aſcribito quod fraude capti admiſimus,
Cognouimus ſtulti minùs lux unde fulſit bæc nitens
Qua nos dediſti perfrui,

Noramus heu qui ſemitam ſaltus tenuimus inuios.
Illi obſtitêre cárceres heu corporis, teterrimi,
Dum ueritas imo latet uirtusq; præclariſsima,
Imo ſinu ac recóndito.
Decepit umbræ inſomnium
Heu uita deſpicabilis,
Decepit amens nos Amor
Ille ille deteſtabilis,
Atq; atq; fecimus improbè,
Ac cuncta deformauimus quæ contuliſti tu bona,
Culpa úna inexpiabili, ſcelereq; quo deuinximus
Caput caput miſerabile,
Deteſtor an uitam hiſce cõiunctam cũ atrocibus malis?
,, Non tantùm ab armata manu
,, Crudelibusq́ ab hoſtibus
,, Quantũ à uoluptate imminet mortalibus periculũ,
Ne grauius in nos cónſule,
Hæc fœda facta ſint licet, clamare non ceſſabimus
Indeſinentibus modis
Miſerere miſerere Domine.
Conuerſa noſtra mens uocat
Conuerſa amaritudine
Ærumna & omni pérdita te domine clementiſsime.
Delicta noſtra cognita
Tibi ſunt & illa iniquitas atrocitasq́ criminis,
Nam fronte nõta mortalium
Imprimitur omnis dè tua manu ſigillo adamántino.

Errore in illo deuio
Haud perſeuerare expedit quē ſuaſit anguis improbus;
Hortator anguis improbus.
Hic campo aperto non ſatis committere audens, in ſuas
Conuerſus artes, mollibus uerbis, ueneno at perlitis
Excetra quale centiceps
Præſens in exitium uomit.
Noſtram in necem uaferrimus
Admouit omnem fabricam,
Teſtudine armatum caua quæ contineret militem
Paratum ad omnia, ſtrenuum, perquam ſuo dignū duce.
Non mœnia alta, aut obſtitit
Arx fronte perminax, tenens iam fraude uictor oīa.
Peruaſtat & ferro & face
Summa, infima, profana & ſacra.
Quis, reſtitiſſes, dixerit. uis cæca nos mouit gradu.
,, Quis proſus euitet plagas cautus, oculatus, lynceus,
,, Plagas inobſeruabiles?
Falſi ſumus uterq; heu doli,
Subleuit anguis os procax & diſsipauit ordinem
Nos inter & te conditor
Rupitq; amoris uincula
Dulcemq; conſuetudinem,
Diremit omnia deniq;
Commercia illa pulchra quis nil nil erat iucundius.
O cæca noſtra pectora
Quæ aduerſū iere nō dolos, at quos doloſ? qui ſanguinē

Prædulceq́ peterent caput.
„ Letale credulitas malum
„ Quás peſtilentias ſerit pectoribus imprudentibus?
Quód uirus inſpuit animis bruto reuinctis corpore,
Fallente fota ſub ſinu proſerpinæa uipera,
Fallente Sirene ôre ſacro cantu & illætabili,
Fallente uiſco pertinaci & caſsibus Cupidine?
Iſtis quia impliciti ſumus dicto audientes non ſatis
Auſi ſumus tantum nefas cunctis cooperti ſceleribus
Quod morte peruelimus emptũ quãmiſerrimis modis.
Cúr non, bonis ſi tenditur tot retibus, uigilauimus?
Rebus ſecundis heu nimis confidimus, ſtulti nimis.
Nos pœnitet nosq́; heu piget facinoris audaciſsimi.
Noſtrum, foret fas, pérditum
Iraſceremur in caput.
Sentina ſcelerum culcitram nobis malorum ſtrauimus
Quis ulla mors non ſit ſatis.
Quid, nulla noſtri ſi ratio habetur tibi? id qđ morte ſit
Acerbius, nempè ex heri albo eradier turpiſsimè.
Sum totus in dolore & in timore flagitium ob atrox,
Anima miſella dè hiſce dicã quid tibi immenſis malis?
Miſerere miſerere domine.
A' te fugere non eſt, Deus,
Latébra nulla tam abdita eſt
Vel æquoris penitis uadis, uel noctis atræ faucibus
Quæ non aperta ſit tibi,
Et tergiuerſantes miſerrimè opprimisq́; & ſtrangulas.

Nil eſt tibi non cognitum nil deniq; inſuperabile.
Pugnare tecùm quis uelit ſtatim lacerti ſi cadunt
Vel fortibus Gigantibus?
Defecerimus à tuis iuſsis licet ſanctiſsimis
Inobſequentes filij,
Conſenſerimus cùm tuis licet hoſtibus grauiſsimis,
Tormenta multa protinus parata ſint nobis, licet,
Sperare non uerebimur teq́; inuocare maximum
Regem parentemq́; optimum.
,, Superbiam ne dæmones ferũt quidem cohors grauis
,, Quæ inceſtet omnia ut palus odore tetro Acheruſia.
Stridit ſub alto pectore
Letale uulnus, quod dolor
Inflixit horrendis modis.
Fixæ ſagittæ hærent tuæ noſtris medullis intimis,
Verſatur òb oculos minans armata telis mors manum,
Non ulla pax eſt oſsibus non ulla carni ſanitas,
Fœdus ſolutum eſt corporis certantq́; ſe inter ſemina
Dimota ſedibus ſuis.
Anguſtijs his claudimur
Acciſa ſpes ut ſit, pedem
Abſq; efferendi, uinculis aut ultimis cruciatibus,
Hinc morte & hinc ſororibus
Acherontijs ſororibus,
Hydris hydris immanibus ſuprema malà minantibus,
Sed te, flagello, maximè
Iſto, ſecuri & faſcibus.

Nemo hocce deuotum caput ſperet miſerijs uincere.
Vt onus graue me iniquitas capútq; deprimit meum.
Preſſusq́; curuatusq́; ſum
Attrita colla ſùb iugo
Mortis iugo duriſsimo
Mâne nitidum, almum & heſperum.
Reliquit heu uirtus mea
Me prorſus ac pectus meum,
Sunt auribus ſeræ óbditæ perſtricta ſuntq́; lumina
Animæq; non ulla eſt ſalus,
Recisa utraq; ala miſer præcipitor in mortis lacum.
Maleſanus, inſipiens, furens receſsi aberrans de uia.
Vt ſurdus audio nihil,
Vt mutus haud hiſco miſer totusq́; diſpliceo mihi.
Relictus ullus non locus neq; uia calamitatibus.
Torrens iniquitatis abſorbet profunda me in Stygis,
An in dolores mi pater luctusq́; amaros iuſſeras
Aethram uidere candidam?
Nam quid? paro me os impudens præbere contumelijs?
Quocunq; me uerto, metus circunſtat ac trepidatio.
Tam dura cauſa exibilat,
Salutis ut aſylo mihi non pateat aditus uſpiàm.
An anima deſpondenda tot grauibus onuſta ſit malis?
Sed quo relégem, neſcio.
Ne me pater ne déſere,
Ne à me procùl diſceſſeris,
Te præter inſanabili quis uulneri medebitur?

Tu unus ſalutis es dator, tu medicus ægritudinum
Quæ pectore ſub alto latent.
Tu portus & perfugium & ara tuta & arx miſerrimis,
Te ſpiritu extremo uoco
Miſerere miſerere Domine.
Tu dele tu turpem notã quã criminis contraximus,
Miſcuimus omnia miſeri quæ ſunt fuêre & mox erunt,
Fœcunda nobis facta ſementis malorum eſt omnium.
Calent, calent aures tuæ quæ fœda facta fecimus,
Nos o laua nos flumine
Viuoq́; fonte altiſſime,
Tu nanq; tu omnipotens potes prӕterq́; te nemo, Deus.
Abſumet ignis omnia niſi incendium reſtinxeris.
Tu cuncta feciſti, illa tu tueberis forti manu.
Aut ſi ultio eſt cordi tibi meam únius animam petat
Gladius tuus acutiſſimus,
Aut flamma forti è dextera, coruſca flãma fulminis,
Parcatq́; rebus cónditis dè te nihil merentibus
Vt ſecum agatur duritèr,
Nil deprecamur prò tot uni ad fata ſi depoſcimur.
Defecit ut fumus, mea
Iam uita, nec cerno iubar Sôlis nitenti lumine.
Heu Sôle ab illo quæ mihi contriſtat almum nox diem!
Nam noſtra culpa diſpulit lucem receptis nubibus
Caligine obſcuriſſima,
Ille ille ſempèr pérmanet
Idem, nec uſpiàm minor,

Ille omnia omnibus uelut dè fonte iugi ſufficit.
At at meum cor aruit ſiti faméq, déſitum,
Prò pane fuit hebeu cinis, prò poculo fletus mihi,
Deficior omnibus adeò rebus animi atq; corporis,
Quin ſim miſerrimè miſer ſi abeſſe pergis, abeſt nihil.
Miſerere miſerere domine.

Pater eſſe ne obliuiſcere, ſuperetq́; cauſa honeſtior.
Scribetur uſq; in ultima
Præcana ſecla, nec ſciet cùm laude nemo, nube quod
Proſpexeris celſiſsima terras potens humillimas,
Aeternum erit, neq; hoc inobſcurabit ulla obliuio,
Canent poetæ, annalium monumēta celebrabunt ſacra.
Tu condidiſti tu omnia
Terram, mare & circunfluum,
Et æthéra igne præditum,
At hæc peribunt peſsimè ueſtis uelut ueterrima
Aeternùm at ipſe pérmanes conuexa mūdi temperans.
Mutabis illa milliès ut ſtragula æſtus tempore
Brumæq; tempeſtatibus mutantur, ipſe ſempèr es
Idem potensq́ꝫ identidem
Pollensq́; citrà terminum.
Tecum uigebit gloria & laus nobilis Clementiæ.
Ego dè profundis clamitans te te ciérem fletibus?
Audi pater nati preces te quæſo & oro & obſecro,
Sentētiam expecto tuam tremens tremens miſerrimus.
Hiulca uerba quæ hoīs haud quaꝙ putes, uix exprimo.
Cōmota penitùs mens labaſcit muta móritur & metu.

Miſerere

Miſerere miſerere Domine.
In æquitate nos tua defende clementiſſime
Quando ſumus ſerui tui
Erimusq́ in omne ſeculum
Tam amore quàm timore pulchrè promptiores. ſedulò
Vitam parem promittimus
Orationi & congruam, non actam ut ánte perditè.
Si ad ſanitatem quis patet reditus, duplum præſtabitur,
Iurabitur nobis tuam ſanctiſſimam in legem pater.
O'ſi procella tanta deuitabitur atrocis mali,
O'ſi tenebimus ſalo hoc portum, cauebimus dolos
Eblandientis æquoris.
Factum uoluntas ſtabit arbitrium audiens dicto tuo.
Si illud redire ad prandium fatum urſerit amariſsimum
Non cauſa dicetur, ſalus nec ulla uitam orauerit,
„ Se ſe refellit ocyùs
„ Aut ſeriùs mendacium, ſeù lingua ſeù mens decipit.
„ Mentitur ipſi tum ſibi demùm improbũ mendacium.
Priuare ne nos ſpe uelis perquàm beato munere
Dilapſa ſi omnis res iacet.
Pèr nos quod eſt depérditum, pèr te recuperari uelis,
Abolêre flagitij notam tu ſolus omnipotens potes,
Saltem impetremus, hoſtium
Expungier dè teſſera.
Direximus noſtram in tuam iam iam uoluntatẽ pater,
Quæ nôta ſunt nobis, nihil
Nutu recedent à tuo,

Eritq́ nil antiquius.
Licentia hinc ito procax lamas olentis in Stygis
Letiq́ tetra Tartara,
Hinc hinc & obſtinatio.
Spectemus ôris o tui iubar illud ardentiſsimum
Vbi ſolida eſt felicitas.
Miſerere miſerere Domine.
Exempla tu omnia édito
In nos miſerrimos reos ad diluenda crimina
Animæ miſellæ crimina
In ualle lachrymabili,
Illa illa erunt ſuauiſsima.
Vri, ſecari & quamlibet pœnam parata perpeti eſt
Illatam atrocem iniuriam
Ob inſolentius tibi,
Nam cui facinore dè graui purgabitur, niſi tibi?
Non ceruus auidius petit fontem, ſitis calcaribus
Actus, fugæ ex laboribus,
Quàm noſter animus expetit ſalutem aberrans dè uia,
Medicinam & his langoribus,
Non ut recuſem humanitus uenire quæ queunt tamen.
Peccare licuerit ſemel malo repertis remedijs
Confeſsione libera dignaq́ pœnitentia.
Impunè facere nam potes,
Culpæ arguat quiſquam Deum?
Timuiſſe, non odiſſe confitebor omne in ſeculum.
Sin' pœnæ acerbæ nos manent, ſpectatq́ eò res deniq́;

Luamus in foro tuo, non Ditis albo tetrico
Qui nos malè malè credulos euertit omnibus bonis,
Qui nos perêgit improbè tot fraudibus factos reos,
De te nihil nam conqueri eſt.
Ne sêde ſceleratiſsima nos, obſecramus, plectito.
Oratione perſequi
Haud expetenda poſſumus,
At tu probè noſti Deus.
Ne nos latêre nos ſine
Neù praua uotis póſcere.
Pelle ab labris uerbum inſolens,
Pelle ab oculis caliginem, pelle ab animo ignorantiam.
Ades bonus ne gaudio quid falſo aberrantes tibi
Præter canamus muſicam.
At ferre uôce hæc déſino
Indigna patris auribus. mens eſt tibi ſatis Deus.
Si traxit huc neceſsitas peperceris mitiſsime,
Orationis exitum uix inuenire nos ſinit.
Te ſummum adoramus patrem, ac uotis ſupremis ſup-
Veniamq; pacemq; petimus (plices
Nam ſuaue nobis prorſùs eſt nihil niſi tibi quod placet.
Nihil periculi eſſe opinor à Deo Met.
Vobis parentes, uera uates affero
Ni mens quod optat augurat, lætiſsima
Nam fulſit Oriens facie & inſolita face
Radijsq; multò quàm ante ſplendidis magis.
Diuinitùs me hæc ſcire núm inficias eo,

Seruare Cœli deiꝗ́ ſummo uertice
Et eſſe conſilij altioris compotem?
Non ultimi nos illius ſumus gregis.
Spes eſt Dei iracundia ut deferueat
Veſtra hac fide uerbiſq́; feruentiſsimis.
Demulſit aures cantus hic ueſter mihi
Demulſit animum àb intimo uſq; pectore.
,, Suauiſsima animi harmonia Temperantia eſt,
,, Qua, pulchritudo & comparatur ſanitas
,, Mentiq; & affecto deinde corpori,
,, Boni maliq́; interpres hæc uitat grauem
,, Inuitat atq; liberatorem Iouem.
Id ſigna reſponſura uotis autumo
Iſtiſq́ ueniam fletibus merentibus.
Quod ſi redire contigerit in gratiam
Cùm patre, mihi gaudere, gratularier
Vobis eritq; maximè.
Prot. *Qui tu obſecro*
Noſti, referto tèr quatérq́ & amplius,
Nam geſtio pernoſſe tantum nuntium.
Referto amica, nanq; te duce & auſpice
Ex mortis ipſis atq; Ditis faucibus
In, hoc opinatum obtigiſſet gaudium,
Quod ipſe faxit faxit optimus Deus.
And. *Quid ambigendo diſtines diù ſoror?*
Quin expedis paucißimis iſtuc, ſtatim
Leuaſq; curis pallidaq́ nos metu.

Nè multa, lætum inuſitata lampade, Met.
Vtriq; ueſtrum quod ſit in rem maximè,
Refulſit Oriens, ipſe uel potiùs pater
Fons lucis almæ.
Tu ipſa uidiſti obſecro? And.
Etiam. ſolentq́; hæc ſigna non me fállere. Met.
Quæ (fas profari arcana ſit mihi Dei)
Tum ſunt, bonum ipſum cúm mouetur quippiam,
Nutuq́; cilium torquet excelſiſsimum.
Quanq̃ illa nec'nc immenſa maieſtas Dei
Moueatur aut quieſcat haud ſatis liquet,
Licet omnis inde ſe efferat motus foràs,
Ducente filij inclyta ſapientia
Amoris igne ſubdito ſummi Iouis.
Quare obſecratio atq; procuratio
Vouenda uobis adyto àb alto pectoris
Promiſſa, res perſoluat ut prolixiùs.
Quod, te obſecramus cauſam apertè dicito, Prot.
Salutis explorata núm qua eſt ſpes tibi?
Metanœa, quandò pulchra ſigna nuntias, And.
Speráſne patri delinita uiſcera
Et eſſe nos aliquo ſalutis in uado,
Saltèm ultimum ut uitemus infortunium?
Spero, nec equidem fallor. Met.
Vnde nam poteſt And.
Mens noſtra fieri certior, diu nimis
Ne maceremur pectoris?

Met. *Statim, reor, ſi me audictis.*

And. *Nulla per erit nos mora.*

Iube, uoluptas imperabitur mera.

Met. *Eleon patronum ſi aduocabitis, Deum*

Qui ſemper aßidet.

Prot. *Illius quæ copia*

Adeundi erit nobis?

And. *An hunc noſti obſecro?*

Met. *Facile ut me.*

Prot. *Amabo te quis illum, nomine*

Aut cuius aduocabit?

Met. *Ipſi accedere*

Poteſtis, illo nam benignius eſt nihil.

„ Qui deeſt ſibi poſtremus eſt mortalium.

And. *At nos pudor prohibet, uel ôra qui omnium*

Cogit fugere reſes.

Met. *„ At egenos non pudor*

„ Decet. ſed hunc adimam laborem, nomine

Veſtro aduocabo ego impigre atq; addam preces,

„ Quando eſt laborantibus

„ Opem, pulcherrimum ferre.

And. *Obſecro ſpes noſtra te ac ſalus ſoror.*

Prot. *Te te obſecramus Diua, quando Regia*

Reis inacceſſa atq; demum curia

Vitanda nobis illa.

Met. *Pareo libens.*

Illam ſat excuſaſtis arduam uiam.

Non âra nobis alia, quò pateat fuga. And.
Nil eſt Deo aſsidentibus non cognitum, Eleos.
Diſcurrit illa mens pèr omnia pectora,
Mens undè noſtra nouit omnia paritèr.
Quæcunq; contuliſtis audiui, inuicem
Commotus & ſum ualdè, ita me amet Deus.
Non ergò agemus acta, commendatio Met.
,, Quæ facta pretèr tempus eſt, ſordet nimìs.
,, Is eſt amicus atq; mortali Deus
,, Qui re iuuat præſenti in arduis malis.
Tu dextra aui patrone præclariſsime
In tempore áduenis opem optatam ferens.
Mentum tuum attingunt miſerrimi rei.
,, Satìs ille mater atq; commendat ſuper, Eleos.
,, Qui præſtat ultrò ac ſedulò officium ſuum
,, Bonum, benignum, & quod apud optimum locet
,, Cùm laude mira à te eſt utì factum modò.
,, Hinc fructus oritur omnium ſuauiſsimus
,, Qui poſsit inuitare perfacilè bonos.
,, Hæc uera commendatio eſt. os fingere
,, Et uerba commodare nemo non poteſt.
Locuta es opportuna paucis tu Dea.
Vos Protogone & Androgyne apùd me pluribus
Egiſſe perputate, nunc aduertite
Mentem, auribus quæ dico & altis mittite,
Ego, ut libenter atq; iûre prò meo
Adſum patronus, cauſam ita hanc tantam, ſemel

Quandò àd ſalutem inuenta uobis órbita eſt
Quæ recta àd auream Iouis ducit domum,
Vt propriam defendam apùd ſummum bonum
Regem benignum, iuſtum & æquum iudicem.
Hoc ſubſtinere recipio negotium
Operamq; diligentiamq; pollicens
Curamq; & animum & quicquid in me adeſt mei.
„ Non expuenda dulcis eſt ſpes ac ſalus
„ Ad uſq; uitæ deſtinatos limites.
Peccaſtis. humana impulit neceſſitas.
Doletis. ad medicum uia hæc planiſſima.
Votiſq; ſupplicijſq; tot tantis deus
Non uerba commutabit arbitror, tria,
Vt corde qui paſcatur atq; uiſcere.
Ergò interim iubeo eſſe uos animo bono.
Hinc hiſce pedibus àd tribúnal récta eo
Meditatus inſtructuſq; in aduerſarios,
Adero animo uigilanti in omnibus locis,
Videte me ſpem uincet ut ſpero ſalus.
„ Nihili eſt ſuum qui admónitus officium facit
„ Pèr ſe queat cúm facere ſinè calcaribus,
„ Qui dè futuro pendet hæretq; oſcitans
„ Cunctator & præſentis oſor temporis.
„ Mihi futurum infecti habetur in loco,
„ Qui habet hodiè expectarit ille craſtinum?
Iſtos ogo odi peiùs infortunio.
Si ferreo obſtrepens quis ôre tinniat,

Oblâta

Oblâta quando mi eſt facultas, ſentiet
Non deeſſe fortes aduocatos indigis
Opis diſertæ, infantibus, miſeris, reis,
Sudabit atq; algebit ille ſat ſcio,
In Sôle pugnam atq; apparamus puluere.
Probantur à deo hæc, in hoſtem acerrimum
Ac cædis auidum ut præſidia firmiſsima
Quæ pectore alto ſint, parata ad omnia
Quæcunq; ſæua Fors profuderit manu.
,, *Quotus patrono eſt quiſq; qui non indiget?*
,, *Quotusq; medico in ægritudine? quoniam*
,, *Conceſſa non eſt omnibus ſapientia*
,, *Suiq; cura, quæ dedit paucis Deus.*
,, *Viuis benefaciendum in ora hac ætheris*
,, *Nam mortuis pulcherrimæ haud proſunt opes.*
Non æquus eſt quicunq; ſuccenſet mihi,
Si fecit ingenio hoc pater me Iupiter,
Aegrè nec eſt, ut deeſſe neſciam bonis,
Gerere inimicitias & hanc ob rem graues,
Nunquam inſtituti pœnitebit me mei.
Eſt ille iniquus, ille & arrogans nimis
Qui nemini aut pauciſsimis impertit à
Deo datum ingeniumq; & officium ſuum,
Qui & parcus eſt ſtudij in foro pulcherrimi
Ac ſancti amicis, optimo deinde cuiq;,
Preſertim ubi in diſcrimen eſt adducta res,
,, *Nam nil amici præ, nitet preſentia,*

„ Spectaculo nil prorſùs hoc iucundius.
„ In tempore aſpro amicus internoſcitur,
„ Vbi eſt ſerenum nil amicis eſt opus.
„ Fidit ſibi qui pérparùm alteri inuidet.
„ Metitur improbus ſuo omnia commodo
„ Beneficij atq; fœnerator gratiæ.
An morbus iſtos tentat Ignorantia?
Diuerſa quæ recedit errans dè uia
Qua dia mens incedit, & cœlo eſt iter.
„ Si qui ſciunt non mente candida, reor
„ Iſtos ſupina præditos ſcientia
„ Neſcire, per, ſcire illa porrò aut quàm malè.
Eſt ille auaro pectore atq, ſordido
Qui nil dat abſq; plurimo prètio ac prece,
Pedibus, capite trahatur eleuans, reus
Inſons, egenus, expoſitus iniurijs,
Atratus, expes, calamitoſus & miſer.
Quid, ſi quis interceſſit, hunc eiecerit?
Quid, ſi boni occupauerit locum malus?
Ementur uſq; iudices prô Iupiter?
At dapſili qui dat manu omnibus bonis,
Qui iniurias propulſat & egenos fouet,
Natûra pulchra hunc diligit, & amat Deus,
„ Bonis deeſſe neſcit eloquentia
„ Quæ fonte dè puriſſimo haurit pocula.
Qui' fructus oritur atq; ſuauis hinc odor.
Qui paſcat alta pectora altis gaudijs.

,, Relata amorem gratia ut mirum parit
,, Ita, bella, uim, cædes relata iniuria.
,, Certant boni officijs, mali artibus malis.
,, Qui metiuntur muſicam concentibus Met.
,, Tantùm, atq; fidibus propemodùm loquentibus
,, Næ illi aberrant deuij. hæc eſt muſica
,, Mulcêre quæ aures intùs & animum poteſt.
Felicius cantabitur forſan nihil.
,, Diſerta certè oratio, uera & grauis
,, Eſt antè cunctas dulcior Symphonias.
Poſuiſſe monumentum puto perennius
Te, omni trophæo adamantinis clarum notis,
Caue inueniri pulchrius quicquam putes.
Tunc deſinet celebre eſſe, cúm Sol deſinet
Superare montium igneis equis iuga,
Vbi tripudijs lætas lyræq; accentibus
Pulchris choréas explicet ſororibus.

Prò munere hoc quæ par referri gratia Prot.
Potis eſt tibi? quod ſponte & ultrò conferas
,, Sinè re, quæ amicos inuenit facillimè.
Non ſi ôra centum, uox & eſſet ferrea,
Lingua exprimat. tum uirium eſt nobis parum,
Iactura quandò facta rerum eſt omnium,
Si quem minùs noſtri miſeret, ipſe eſt miſer.
Sed reſtituti ad priſtinas ſi erimus opes
Commiſſa quod ſperare noſtra uix ſinunt,
Tibi ſemper aris eximia cadet hoſtia,

Et dona tu auferes ſecunda pòſt Deum,
Beneficij erit æterna prædicatio.

Eleos. Hoc *ſat ſupérq; ,gratus es quandò mihi*
Et *pollicéris dona liberalitèr,*
,, Hæc *ſumma merces : quod bonis ſit haud perit.*
,, Beneficium *quiſquis ſerit fructum metet.*
,, Præclara *facinora fortibus ſunt præmia*
,, Q*uæ non retundat mortis ulla iniuria.*

ACTVS QVINTVS.

Eleos. Dice. Iupiter. Chorus.
Oratio Elei.

Eleos. On *pauca maxime* R*ex haberem dicere*
n *Si mi liceret pèr pudorem ,pércita*
Q*uid ira poſſit atq; miſericordia*
V*bi utraq; alteram loco pepulit ſuo.*
Exordiar *nunc undè quæro* Iupiter
Te,Rege *córam ,præpotenti iudice,*
Tu *uerba ,mentem ,ſuggere & uires pater*
Tuo *ôre læto ac fronte lucidiſsima.*
Tantiſper *iram pône dum rem omnem explico.*
Primi *parentis omnibus notum eſt ſcelus*
Q*uo ſe obligauit fraude deceptus miſer,*
Sed magnitudo cuius omnia ſuperet
Ingenia ,ut ylla pæna non ſit par ſatis,
Q*uippè undè ,ceu dè fonte largifluis aquis*

Sint rebus orta incommoda immaniſsima,
Non iuerim inficias, labor, dolor, metus,
Et alia deinceps mille poſt mortalibus.
Tu tanta largè huic dediſti commoda
Vitam beatam, coniugem cariſsimam,
Hortos amœnos, umbra & aura præditos
Et fontibus ſcatentibus nitidis aquis,
Pratisq́ue lætis floribus ridentibus
Pomisq́ue quæ conſéueris tua manu.
Quæ quanta fuerint nunc carendo intelligit.
Horum fruendi quæ fuit non copia?
Sapientia eſſet nempè cui ſublimior.
Sed ubi dies uoluenda redijt, tunc pede
Aduênit hora laneo inſuperabilis,
Mentem error occupauit improuidam adeò,
Induxit hoſtis, illa perdidit parens
Vterq; demens ôre captus illici
Atrum expuentis uirus anguis improbi.
Erexerat quos ſummam honos ad gloriam
Depreſsit hoſtis àd miſerias ultimas,
Indignitate rei atrocis ut oculos
Vel hoſtis à ſpectaculo ipſe auerteret.
An iſta deprauauit illos copia?
„ *Nam res parit ſecunda negligentiam,*
„ *Paritq; nauſeam redundans copia.*
An ille uitæ morbus inconſtantia
Et uelle & inde nolle, uelle & denuò?

" Vſu uenire nam ſolet mortalibus
" Fortunam ut excelſiſſimam mens deſerat
" Dum uetera linquunt atq; conquirunt noua,
" Res mira, habentem multa egêre plurimis.
Verùm tua quod pace dixerim, bona &
Venia pater, quid miſero oportebat dare
Comitem leuem, licentioſum & improbum,
Atq; appetentemſemper arbitrium noui,
Procliuiore corpore ad libidinem,
Procliuiore ætate uêre in florido,
Procliuiore mente àd ea quæ pulchra ſunt.?
Diuerſa ubi uis eſt, ibi eſt arbitrium.
Eſt uictus ardentiſſimo Cupidine,
Mandata conturbauit òb breuiſſimum
Ac triſte dulce triſti & omni triſtius.
Vicit pudorem, iusq; fasq; nobilis
Conſilij & expugnauit arcem amentia.
Nunc eſt uidendum cui bono illi iſtuc fuit.
Amiſit, amiſit repentè prô dolor
Quod rerum habebat ſceptrum, & in luctu ſtatim
Conſêdit indigúſq; egenusq; ac miſer
Sinè lare, ſinè tribu, ſinè bona ſpe, ántea
Qui perfluebat diues opibus omnibus
Quaſcunq; mens excogitare uix poteſt.
Priuatus illis commodis, uides pater
Quanto doloris in ſalo unà cùm ſua
Vxore amata, multò & id miſerrima,

Demerſus, inquinatus immundo luto
Sacrum caput, proſtratus infelix humì,
Vt morte deformatus ultimùm gemens
Tua genua oſculatur atq; amplectitur
Non lumina audens aſtra uérſum tóllere,
At uultus arcana, aſpice, loquitur animi.
Ille, ille perdidit, omnium proteruiam
Rerum ille fecit, at tua refert parùm,
Ni délitet quid forſan hic myſterij.
Verùm, eſto, heri tu fungi & officio uelis,
Et pléctere illos obſequentes non ſatis
Virumq́; & uxorem, ira abeſſe non procùl
Et debet, huic ſuccedere & clementia?
Vitæ neciſq́; te poteſtas eſt pénes,
Quidnì, tui imperij eſt necare & parcere.
At ſit animaduertendum & edendum omnia
Exempla cóncitæ iræ. habes num talia
Ac tanta ſupplicia? minora exiſtimo
Equidem omnia hoc facinore, ſi ſpectaueris
Ad dignitatem immenſam & imperium tuum.
Sit morte condemnandus, at quá obſecro?
Aeterna. ut hoſtis uictor exultet magìs?
Cùm corpore unà. & quis creata ſecula
Cœlumq́; & aſtra lucida admirabitur?
Canetq́; laudes Architecto maximo
Tibiq́; regi præpotenti & optimo?
An machina Orbis, omnis & creata res,

Eſt danda, acerba, funeri ſententia?
Ob eius os quando omnium os obuertitur.
Cùm rebus ictum fœdus eſt à te palàm,
Bonúmne ſummum facere quid poteſt mali?
Oblimat inuidia ulla certè non Deum.
Non párcere illi uis? notæ peperceris
Quæ inuſta rebus eſſet ortis omnibus.
Addo illud. alto quiſquis in ſolio ſedet
Non debet exercere totis uiribus
In calamitoſos ſpicula iracundiæ,
Ne nomine immutato, ab omni ſeculo
Appellitetur poſtea crudelitas.
Nam non putarim ea eſſe te ſententia
Qui miſericordes eſſe ſtultos cenſeas.
At eſſe fac, tu acerbitatem ne addito
Dictis amaris àd ruinas ultimas,
Vt comminata eſt ſæpè nobilis Dice.
,, *Vindicta felix eſt potuiſſe ignoſcere.*
,, *Qui ſæuit in puſillum & is puſillus eſt.*
Vſura lucis reſtat his tantùm, attamen
Mutare uellent quam tenébris triſtibus,
Et uértere exilio ſolum extrà cardines
Mundi, diei tela & extrà candida.
,, Errando *ut exceſſêre homunculi modum*
,, *Sic corrigendo excédere haud quaq̃ eſt* Dei
Cui lætior Iuſtitia Miſericordia *eſt.*
Honoris *ergô exorta tanta ſunt mala,*

Honoris *ubi*

,, Honoris ubi ſpes eſt ibi eſt periculum,
,, Honore req; uita ſtat mortalium.
Proles amoris animus illo abducitur
Flagrante deſiderio ad ea quibus caret.
,, Qui plus poteſt moderatiorq; & mitior
,, Debet profectò eſſe & uideri commodùm.
Communis an ratio & uia eſt ? quàmplurima
Benefacta ut una noxa & indignatio
Corrumpat una, frenum & ira neſciat?
Non iſta trita & te decent uulgaria.
,, Eſt illa deniq; æquitas pulcherrima
,, Sinè fraude legum, nobili ſapientia
,, Quæ rebus atq; tempori ſe accommodat,
,, Menſûra flumine hoc quietis inſcio
,, Naturæ, habetur omnium rerum optima.
,, Dè iûre Rex concedit afflictis ſuo.
Dulci illa in hortis tu neceſsitudine
Illisq; tot tantisq; honoris curſibus
Mouêre, condonàbis & parentibus
Nonnulla & illis acribus mœroribus,
Auguſti & eſt hoc præpotentis Principis.
Virtutis hiſce rara & indoles nitet.
Imberbi adhuc, obiere nobile facinus,
Nihil negamus nec negare poſſumus,
,, Peccare nunquam quis nisi ipſe potes Deus,
,, Aut gratia perfuſus indè cœlitùs?
,, At ueſcitur quicunq;, ſæpè ceſpitat,

„ Cui dura maximè imperat neceſsitas,
„ (Nam permanêre arbitrium res ardua eſt)
„ Qui Forte pellitur gradu & caſu leui,
„ Et ſæpè prudens capitur, imprudens abit.
„ Periculoſum ut uiuere hiſce erroribus
„ Peccato ita ignoſcendum ab ægritudine
„ Torquêre quæ animum poßit in partīs ſuas
„ Si culpa non exceſſerit tamen modum.
Bini ut ſonipedes liberi, infrenes, feri
Pèr lubrica ac prærupta rupibus loca,
Extrema mortis appetunt confinia,
Sic gemina uis, turbo, procella animi inciti
Libido & Ira Pœnitentia duce
„ Sui impotentes ægritudines ſerunt.
„ Tuum eſt & hiſce & legibus moderarier.
„ Omnia agere ad præſcriptum inepti eſt admodùm,
„ Aut ſeruientis ſeruitutem Iudicis.
Præfigere at tu legibus leges potes.
Horúmce uita anteacta ſat nota eſt tibi.
Ad te itur, at habent prætèr hi te neminem.
At noſtra, dignitate dè tua, Dice,
Exiſtimatione & amplitudine,
Quod ſplendidè dictura ſit uel dixerit
Certo ſcio, ueruntamen uiraginem
Studio atq; maieſtatis atq; altißimi
Solij tui aut dixiſſe, dicturam aut puto,
Nam uellicare quippiam, núm ſuſpicer?

Titillat illam nunquid illa gloria
Quamplurimas cenſendi iǹ Albo perditas
Animas reorum iûre quaq; iniuria?
Nón ulla tandem ſanguinis erit ſatietas?
Tacuiſſe mallem expreſsit ôre quod dolor,
Cohibet uoluntas me, at neceſsitas citat,
Solius eſt tua iſta diuinatio.
Si noxa plectitur innocenſq́; abſoluitur
Quidnì, Dice ſit pulchra & accuſatio.
Si non obeſt contentio hanc equidem probo.
Quis' Principem eſſe te quis' obſecro negat?
Qui cuncta nutu temperas, torques, quatis.
Ne autoritate ſingulari deijci
Cauſa pátere pater, potentis uirginis,
Nec pátere, cauſa indicta, ut oſcitantibus
Occulta nobis obſit oppugnatio,
Nam neſcio quid mordet illam plus ſatìs.
Núm prima tela te mouebunt dè gradu
Armis potentem animoq́;, uinci neſcium?
Nobis reſerua hæc integra oramus pater,
Aut cauſa ſaltem ut amplietur, ut dies
Compeſcat iram ac pulchra prudens conſulat.
Non Regem atrox auſteritas decet & rigor.
Effuſus omnis tam citò ab animo eſt pater?
An' cauſa fors' iugulata prorſùs cóncidit?
Quid iûre ſummo ſi acta? plus triſtitiæ erit.
Vos res creatæ atq; adeò iǹ Orbem amabilem

Eductæ in uſum, maria, terræ, ætheris
Sedes nitentes teſtor, imploro, aduoco
Adeſtedum nobiſcum apud ſummum I*ouem*
Adeſte & animis & timorem pellite
Cauſa parentum pulchra, honeſta & optima,
Omnis ſi ab illis ueſtra dependet ſalus.
An ira eò procedet, omnia ut ruat?
Quod ominari adeò reformidat animus.
Natura, teq; appello, in hiſce fluctibus
Non parua quandò res tua innatat parens,
Si in res creatas ira porrò ſæuiat,
Si dicta tandem ſit parentibus dies,
Armata certè ſtabit à uobis ſalus
Ratioq; Speſq;, ueſtis aut mutabitur.
Eſt illa perquàm nobilis ſententia
Præſtare condonarier quàmplurimis
Vnum caput, quàm proptèr unum, tot ſimùl
Indigna ferre exempla & hinc damnarier.
Non hæc tacebunt & alia diſertæ deæ
Squalere ſenio quas uidetis & ſitu.
Tu ſumme iudex, quid decórum póſtulet
Videbis, antè, nulla te eſt ſapientia,
Nec eſt uerendum te ira pellat è loco
Si non de Olympo fuiſſit illis gratia
Multò omnibus opulentior opulentijs,
Sed porrò ab his ſperandum ut exemplis malis
Leges ferantur optimæ ac pulcherrimæ,

Et ſit ſecundus finis atq; optabilis
,, Nam ſæpè gignit gratiam alta iniuria,
,, Et læta pax ſæpè orta magno è iurgio eſt.
Quid ſit Dice formoſa ſi id foret minus?
Certè nihil, ſi fomite hoc uiget ac ualet.
Id demum ita fore fert mea magè opinio,
Tua eſt uoluntas ſemperoptimiparens,
In te ſalutis ſumma nititur Deus,
Veteri recens non ſit minus beneficium,
Spes eſt datum iri remedia ſalutaria
In mole tanta conflagrantis hac mali,
Quæ gratulatio conſequetur omnium?
Concepta ſpes ne fallat, oramus pater.
,, Defenſum oportuit quod eſt miſerabile,
Tum tota cauſa prorſùs in mea eſt fide
Cui deeſſe, uitam tóllere è uita foret.
Quandò in ſenatu liberè ſententiam
Nobis dediſti dicere, illa diximus
Quæ uiſa quàm ſunt expedire maximè
Reiq; publicæ tibiq; Principi.
Quæ ſint cúm ita, uidetur inuictiſſime
Vt te prius, póſt inde quæ peccauerint
Primi parentes diligentèr æſtimes,
Hæc maior eſt, quàm quæ eleuari res queat.
Ne, quod licet, ſed quod decet ſpecta pater.
Loco priore, capitis in cauſa te ápud
Quod dixerimus, æquus eſto tu & bonus,

Memor reponens uerba prò locis ſuis,
Ordo peritis nil obeſt præpoſterus.
Præprópera uitio haud danda feſtinatio
Vbi eſt neceſſe atq; imminet periculum.
Nos impulêre anguſtiæ illæ temporis.
„ Eſt, cúm loqui, tacêre ſit præclarius.
Sententiam expectamus optatiſſimam.

Oratio Iuſtitiæ.

Dice. *Si Iupiter pèr te licebit liberè*
Ad illa reſpondêre quæ dixit Eleos
Fractiśq; uerbis commodiśq; non ſatìs,
Robuſta & è republica dicam magis.
Tu fronte læta & ôre fulgentiſſimo
In quo acquieſco ſpemq́; concipio bonam,
Da digna dicere, aufer & mendum procùl.
Longè alia certè mens mihi eſt altiſſime
Si te magiſtro uêra didicimus tamen.
Primi parentis ſcelera ſunt notiſſima;
Conuicta ſunt, confeſſa ſunt, quid amplius
Cunctandum igitur? aut iura, leges & minæ
Sunt irrita, aut ſupplicia ſumenda ultima.
Quis fretus ille fecit hæc facinora Dijs?
Non inueniri digna noſter diſputat,
Res ridicula, te inſcitiæ quæq; arguat
Quaſi neſcias ſapientia illa præditus
Quid poſcat æquitas itemq́; iniquitas,

Quæ pœna quódue debeatur præmium
Vel ſplendidæ uirtuti, inuſtæ uel notæ,
Bona uerba quæſo, inſcitiæ ten' arguat?
Præfatum honorem cordis ex adyto uelim.
Quid paricidæ perpetrarint, pluribus
Non eſt opus pater profectò dicere.
Ego hocce dignos nomine iſtos cenſeo
Legi rebelles, ueritati obnoxios
Qui tot malorum cauſa ſunt & auſpices,
(Tu te ipſe ſuſpirabis ea cúm corriges,)
Dedécore cuncta qui probroq́ polluunt,
Naturam & ipſam ſcelere qui infando óbligant,
Portenta rerum, funera, neces omnium.
Viuis, uidentibus parandum his funus eſt
Infletum, inſepultum, hoſtia canibus,
Nomenq́; Lethes proruendum gurgiti,
Sorbêre tantum terra nì mauult ſcelus
Aut denegare ubi imprimant ueſtigium,
Sùb nocte opaca ſepeliendos cenſeo.
Duo' improbos tot ire perditum bonos.
Quo' nominat quæſo ôre manſuetudinem
Quæ ſit uocanda negligentia potiùs?
Non illa legum nobilis ſecuritas
Bilem citatq́; & ultionem próuocat?
Seruire multitudini nì uis magìs
Quàm ipſi tibi, rationi & hinc pulcherrimæ.
Induxit hoſtis, tanta pérdidit bona

Mens quanta cogitare ne poteſt quidem.
Mandata conculcauit òb dementiam.
Peccare quid nam eſt aliud ? imperium dedit
Seſeq́; peſſum proptèr obſequium ſuum
Cupidini improbo , ipſe pœnas nunc luat
Denuntiatas uſq; àb illo tempore,
,, Sententiam mutare non decet Deum.
Aſcribit idq́; arbitrio , uidelicet
Cuius ſŭáſu admiſerit tantum ſcelus,
Expoſtulare tecum & audet non ſecus
Ac cùm parente delicato filius,
Facetè. in æs inciſa ſunt planè omnia,
Hic fas nefasq́; appingitur magnis notis,
Hinc diſcitur ſit quanta maieſtas tua.
Tum celſa præſidebat alto uertice
Regina Ratio atq; admonebat ſedulò
Illa eleuaret monſtra turpitudinis
Atq; adminiſtra infrenis Iracundiæ.
Peccauit. ôra nunquid erubuit tua?
Núm nobilis Reginæ boneſta lumina?
Núm conſcientiæ theatrum ampliſsimum?
Libens uolensq́; obtemperauit fraudibus,
Spreuitq́; uecors illa certa præmia
Promiſſa ſanctè à te. quid ? ille forſitàn
Eſt ſuſpicatus poſſe te uel fállere
Vel ſcire ineſcare ulmeas naſſas dolo?
Honoris umbram an conſecutus , omnia
Licere

Licere forſ putabat egregius ſibi?
Iniuſta ſint an iuſta magni haud æſtimans.
An forſitàn cælâre te ſperauerat
Et Veritatem Temporis oculum patris?
Latè imperandi munus eſt illi datum
Pulcherrimum, cùm pareant res cateræ,
Non omnium oculos iſte coniectos tamen
In ſe putaret? quæ eleuauit impudens
Confiſus alto quo ſedebat in loco,
,, Caditq́ grauiùs qui loco excelſo cadit.
Inuitus inquit atq; deceptus. ferè
Tantundem id eſt, aut fortè durius malum,
,, Nam iniuſtè agit, pretèr uoluntatem qui agit,
,, Ad recta, nec uia facilis eſt dementibus,
Errarit utra ſcilicet refert parùm,
Seù nimia decollauit affluentia,
Seù dubia, uitæ morbus Inconſtantia.
Non diſputari tempus hocce poſtulat
Exactiùs, quid diſtet ab utroq; alterum.
Vis & uoluntas ſella eádem cúr ſedent?
Culpam ſuam deriuat in alium catus,
Suo ſibi proſtrauit hic ſe pondere.
Finisq; mensq; damnat infelix opus.
His uultus index certus arguit animum.
Audacia gemina utriuſq; agnoſcitur.
En ſordidatus mordicùs terram tenet
Genua àd tua aduolutus, ánte oportuit

N

Cùm ſalua cuncta, res & omnis integra,
Tibiq́ erat coniunctus illa gratia.
Nunc pœnitentiæ haud locus. ne iráſcere
Sed parce, clamat luctibusq́; & lachrymis,
Qui coniugi ſibiq́; non pepercerit,
Aut quicquam habuerit penſi, & uſq; poſteris,
Qui uulnerarit facto & exemplo omnia
Et quæ orta ſunt orientur & quæ poſtea
Dum candidis luſtrabit Orbem Sol equis,
Tranquillitas nam pacis omnis corruit.
Hic ſit parens? at meo animo ne homo quidem.
At cuncta, linea auſus eſſet, ut reor
„ *Extrema, àb extimis uidere eſt intima.* “
At te & tuam ſcientiam fugit nihil. “
Parce. illud os, ignoſce, parce iniurius.
Næ iſte cùm re omnem pudorem pérdidit,
Quam dignitatem depoſuit hanc petit.
„ *Si parcis uni, is perditum multos bonos.*
Exemplo itemq́ Rex nocet multò magìs
Quàm facto, ab ôre turba pendet illius,
Contagione ſerpit indè latiùs
Hoc peſtilens atq; ulcus incurabile
Vndè eſt àd infortunium facilis gradus.
„ *Exorta, confeſtim opprimenda ſunt mala.*
À te petenda exempla demum rêge ſunt,
À te medico itèm remedia ſalutaria.
In te impiè, in res fecit hic nefariè,

Nam turpia decet uirginem non dicere,
At nota ſat tibi magnitudo eſt criminum,
Ecquis' modus finisq; confidentiæ?
Si abſoluis hunc, quis' morte condemnabitur?
Quis' inquit admirabitur ſpectacula
Quæ condidiſti ſuisq; deq; illuſtria?
Ac ſi artifex oblitus artis iam fores,
Nec amplius reſtaret, ipſe quod manu
Et mente ſcires inuenire ac pónere,
Plus eſt quod in te délitet quàm quod patet,
Iactura rerum fit nec uſpiam loci.
Atqui hoſtis exultabit hac uictoria
Pœnas parentes ſi luant, imò magis
Ob iura ſic neglecta, ſi illi non luant.
Nam Regibus nil turpius quàm non ſatis
Pulchrè tenêre quid ſacrata lex uelit.
,, *Crudelitas tolerabilior ignauia eſt.*
Non tantum agitur, iſtoſce nec'ne punias
Sed protinus carêre culpa an tu queas
Non irrogando crimini multam parem.
An tanta lis fors æſtimanda eſt lachrymis?
Deinceps libido impunè peccandi foret.
Non abſq; maieſtatis hæc diſcrimine
Cuius tenentur improbi dubio prócul,
Exemplo & ábſq; in omne ſeclum peßimo
Immenſa condonari, opinor eſſe cúm
Concluſum abundè, tum peroratum ut uolo.

Ignominia mouit tribu hoſte iniurios,
Morti ſibi addictis peteſſunt perperàm,
,, Se ſe indicat facillimè qui claudicat,
,, Ego, nec amicorum, nec imperij, neque
,, Animæ quidem cauſa facere conceſſerim
,, Iniuſtè, aberrat quiſquis alitèr diſputat.
Non audiendus noſter Eleos eſt, pater
Tam multus & tam mollis in re perdita,
Vt laudis, omnis aucupandæ gratia
Conficta poſsit hæc uideri oratio
Pompa, ſono, ſplendore uerborum potens,
Nì forſ abundans ingenij ardor impulit
Illum, tuendi perditos miſerè reos,
Quis deprecator thus & aram comparat
Succenturiatur atq; in omnibus locis
Extràq; cauſam exemplo & iſto diſſerit,
Nam cantilena hæc obſecro quid ſuccinit?
Prô magne Iupiter, niſì iſtos improbos,
Exempla ſcelerum, impuritatum & omnium,
Qui nullo habent delectu honeſta & turpia,
Qui, quis ſit ater, quis ſit albus, eleuant,
Qui ſacroſancta ſpontè fœdera uiolant,
Qui te minoris æſtimant caſſa nuce
Cicóue uili licióue aranei,
Ornare laudibus, onerare præmijs,
Locare primis ſyderum, ſi dijs placet.
Contraria his par eſt ut auferant boni.

Ratione uerſa, quæq; prò ſe res agat,
Quod eſt ſupremum exordij occupet locum.
Probabit hæc recta eſſe, uicit, nil moror.
Sed perſuäderi mihi haud facilè poteſt.
At res loqui uidetur ipſa propalàm
Et cónqueri hiſce non ineptis queſtibus.
Hâc demùm eò licentiæ ibitur malis,
Et mox eò timoris omnibus bonis
Iniuriæ ultrò ut offerendum ſit caput
Expoſtulandæ uel ab eo qui fecerit,
Interpres & ſit quiſq; prò libidine,
Legum, ac periti appellitentur improbi.
Num ſint ferenda tot nefanda tu uide,
Inflicta uulnera, facta ſexcenta impia?
Hinc rebus ortis certa mors óſtenditur.
Hoc urit, hoc me pungit atq; habet malè.
Ne flamma cuncta perdat iſta, proſpice.
Sermonis an tædere me alioquì poteſt?
Quem noſter illis fingere phaleris ſtudet,
Nunc uerba torquens, nunc retorta cómprimens,
,, Quæ à recta aberrat, læua ea eloquentia eſt.
Verborum ego odi funditorem inanium.
,, Quò atrox magis res tégitur, hòc lucet magis.
At at tacebo, at tempus in lucem feret.
,, Deliberat repentè quæ uult ueritas.
Nil eſt quod ira torqueat ſententiàm
Aut fluctuans ſuo arbitratu me ferat,

Nil, læſa quòd ſim ſingulari iniuria,
Sed Dignitatis crebra uox me pérmouet
Et Veritatis omnium ſanctiſsimæ,
Quarum eſt profectò ratio habenda maximè,
Rempublicam iri perditum clamant Deæ.
Haud ulla cùm Eleo nam ſimultas eſt mihi,
Studijq; ſed certamen & ſententiæ
Coràm ſenatus atq; rerum Principe,
Ad quod ego prouocata deſcendo tamen
Dè publico eſtiq; iûre controuerſia,
Quid peccet hic defenſor ec cúi non palàm eſt?
,, Oratio ulcus mentis arcanum indicat.
Et conciones dè me apertæ ſunt ſatis,
Abeſſe maliuolentiam at procùl uolo,
Abeſſe ſæuam ſemina àd diſcordiam,
Errat qui iniqua noſtra uerba exiſtimat.
At maior eſt res quàm quæ agatur lenitèr.
Non crimen hæret, nec ſubobſcurum eſt ſcelus,
Sed res aperta, luce & ipſa clarior.
Quòd capitis æſtimanda ſit, nil ambigo,
Ipſa ipſa teſtis eſt apùd te iudicem.
Quid eſſe poſsit, non uideo equidem, moræ,
Præciſa prorſùs omnis eſt defenſio.
Exurge igitur exurge & expergiſcere,
Ito ito & ultum flagitia nequiſsima
In te tuamq; dignitatem, & omnium
Qui mundi habemus arduas diui domos,

Iſſemus àd ſaga niſi tu potens eras
Pollenſq; dubia in acie, & inuicta manu.
Iuſtitium an edicendum, omittendum & forum?
Nil nil decet te Iupiter tandem magis
Quàm iûra conſeruare, leges cóndere,
Facinora fœda, inulta non dimittere,
Non gratia moueri & iſtis lachrymis,
Nì deprimenda noſtra prorſùs dignitas,
Diſcrimen & nullum eſt bonum inter & malum,
Parumq; deniq; intereſt, ſit patriæ
Legiſq; quis ſeruator an ne próditor.
Immane quantùm àb æquo iniquum diſsidet,
Quòd tu niſi his reſiſteres forti manu
Eſt prorſùs actum dè omnium rerum ſtatu.
Anquire capite, exempla & omnia edito,
Rebus ſtudentes non ferendi ſunt nouis.
Omni remota mentis anxitudine
Odioq; & inuidentia, omni gratia
Remota, & oſtentatione & gloria
Quæ ſpreta creſcit ſæpè in immenſum decus
Veruntamen me pérmouet nihilò magis,
Siti remota, quam obycit mi ſanguinis,
Egon' miſellum quenq; in inuidiam uocem
Circunueniri aut uſpiam falſò uelim?
Sed ueritatis únius ſtudio deæ
Quam prætèr alias iûre diligis optimo
Si pulchritudine antè cunctas it deas,

Exiſtimari hæc dicta per equidem uelim,
Noxæ óbſecrat dedantur improba capita,
Statuatur iſtis pœna & alijs improbis,
Nam comperendinari iniqua res foret.
Quæſo omnium abſint aurium faſtidia,
Non aura uulgi laudis expertem leuis
Titillat aut me plebis acclamatio,
,,Qui péctora leuia fodiunt ſtimuli inciti,
Perſpecta ſatis eſt noſtra libertas, fides
Et ſingularis in tuam rempublicam,
In quo, fatendum, nemini conceſſerim.
Sed næ ipſa rebus hiſce ſum prolixior,
Tibi profunda corda aperta ſunt pater.

Oratio Iouis.

Iupiter. O Sátrapæ, mecùm Mundi qui mœnia habetis,
Quantos condendis rebus terráq; & Olympo,
Et meminiſtis enim, tolerarim mente labores,
Et qui ſucceſſus fuerint, pars cúm bona Cœli
Aduerſùm nos plus mille inſtruxêre phalanges,
Non locus, aut hæc narrandi ſunt otia nobis.
Quod magis impendet, magis & nunc inſtat, agamus.
Emendaturus claſſes, ſuo ut ordine uellet
Quiſq; manêre, homines ſum commentatus, honores
Qui medios ferrent, dedi & his ampliſſima regna
Inuidioſa adeò, ſenſi & uos ſcire poteſtis.

Dementes

Dementes, hoſti qui ſummisêre petendas
Ceruices. regno pulſi némora alta pererrant,
Atq; ea formidant, dudùm quibus imperitabant.
Immenſum eſt crimen, pœna eſt immenſa parata
Pèr cruciatus, tormenta exquiſita, dolores,
Vna atq; altera mors. permouit me tamen iram
Demulcens, animo ex alto miſerabilis ille
Fletus, amicitiæ & noſtræ paulo ante recordor
Tam ſanctæ, ipſe frequens aderam felicibus hortis
Quis nil ſplendidius nil eſt & amœnius ortum,
„ Nodus amicitiæ haud ita parua ſoluitur hora.
Quare ego Iuſtitiæ ut ſeruem uiolabile nunquam
Imperium, haud metus eſt ullus pulcherrima uirgo,
Vtq; Eleon non pœniteat ſtuduiſſe clientum
Cauſis, nam decet excelſos clementia Reges,
Nec condemno homines ipſo me iudice, morti
Aeternæ, quanuis mereantur fata ſuprema,
Nec prorſùs nunc abſoluo. Mors, integra ſunto
Iura tibi tua. tempus erit cúm cuncta retexam
Aduenniens uictor, me Tellus Styxq; uidebit
Admirata, nouas tabulas normasq; ferentem.
Idem ego qui ſum principium, idem ego ſum quoq; finis.

Siquis eſt qui metiatur corpore atq; ſenſibus — Chorus.
Vitam boniq; terminos
Næ ſit ille tèr miſerrimus quaterq; & amplius
Poſt mille uitæ incommoda

Atroſq; nimbos & procellas hórridas
Mortis expoſitus plagis
Cuncta corripientibus;
Illis deniq; ſpiculis
Dextræq; inſuperabili.
O' rebus ortis Lexq; iusq; æquabile
Fatum, Ordo, Vis, Neceſsitas.
Nouêre nunq; párcere
Tyranni ut atrociſsimi duritia ineluctabili,
Sed dominantur in omnibus imperio graui
Oreq; terribili uehementibus & minis,
Nec eſt locus Clementiæ
Pulchræq; Miſericordiæ
Sub omne tempus uſq; mortis in lacum.
Quod eſt malum in promptu eſt, quod eſt bonum haud
Miſerrimis mortalibus. (liquet
Hinc blanda Siren állicit magicis dolis,
Deterret illinc iugis erumna & dolor,
Vt neſciant homines utrum eligant ſibi
Vitam'ne ſuſtinere an à ſe amittere,
, Nec uita diſcitur prius quã mors pede atro obrépſerit.
Vt flumen eſt quod uiuitur trepido pede ſecans æquora,
Pèr dura rerum ponto ut eſt remotius,
Naturæ at alto gurgite excipitur cadens
Quò quæq; rurſum res originem refert
È lite dubia emerſit ut concordia.
At liberum in prætorio

Quod ſyderum eſt extrà iubar
Soliſq́ radios aureos hyperionis
Ius omnibus dicit Deus,
Indeprehenſum mentibus gregariorum Cœlitum.
Pepercit homini beneficij memor ſui
Manêre quod permiſit arctis legibus,
Non paſſus altis óbrui
Trucis Charybdis faucibus.
At at quid eſt, quod pallidæ
Mortis rigenti forcipi fatoq́ formidabili
Offert caput etiam ſuum
Ipſe omnium Rex Iupiter
Sator hominum, Deûm patèr,
Ductor peritus ordinis pulcherrimi
Qui templa Cœli cerula
Nullò negotio quatit,
Qui librat Orbem pendulum,
Noctis cauæ, Aethræ prómulæ,
Salſæ lacunæ & arbiter,
Pan tecta Olympi fulciens columnis aureis
Reddentibus dulcis modos,
A' quo profectum, in' quem relatum eſt quicquid eſt.
Idem, potens pollenſq; ſempèr & ſimilis ſui,
Expers laboris prorſùs & doloris inſciens
Menſura ſibi ſit ipſe & pondus & numerus licet
Et tempus immenſum & locus,
Cui hoſtiæ concedat omnis ilicò hoſtia.

Hæc facta fieri ſàt ſcio
Non abſq; patris ſummi mente, qui ſempèr latet
Et eſt quod eſt non uſq; idem & quód omnibus locis.
Verùm utpote è ſacrario
Olympico penitiſſimo
Mihi cauſa non ſatìs liquet
Ratioq; quàm obſcuriſſima
Sed ſtupore me afficit meumq; pectus pércutit
Oratio illa, numerus eſt ubi morti ſacer
Diuinitati & congruens.
Natûra quo duplex decêre quit pacto deum?
Quò pauciora cóntulit
In uerba conſilium, hòc latet
Profundior ſententia,
,, *Multum intereſt quis uerba puérne faciat an pater.*
Illa Orbium interualla me quoq; habent malè
Spatijs peractis fiſtulæ ſeptemplicis
Poſitura rebus limites.
Ergò niſì obuiam ibitur,
Mors ſæua nil non óbteret
Aénëiſq; calcibus, manuq; ferrea petet.

IANI ANYSII PROTOGONOS.

AD PAVLVM PONT. MAX.

Nobilitas ortum décorat tibi Paule, uel ipſo
Belligeri flauo Martis àb uſq; Remo.
Et Fors & Cypris arriſit florentibus annis
Et Charis & roſeo uertice Calliope
Mox pater excepit Saturnus grandius æuum
Inq; ſacris cœlebs uita probata tibi eſt
Tandem commiſſa eſt Petri propè naufraga puppis.
His Cælo auſpicijs quid, niſi certa uia eſt?
Sic tibi Rex superûm tantum fortunet honorem
Pieridas Pindi da cólere antra Deas,
Córrige res, pergit prorſùs quas pérdere Pithò
Atq; iterum in tetrum præcipitare Chaos,
Id te Protogonos, tibi ſi eſt data tanta poteſtas
A'duenit òratum mater & Androgyne.

Ad Nicolaum Rhodulphum Cardinalem.

Non dum flos pratis, non uerbis floſculus ullus,
Non tua erat Venus & nata Rhodulphe roſa,
Non dum Helicone Deæ ductarant monte choréas,
Hos cúm ſermones ôre tulêre patres.
Fucus iners aberat color & uiolàtus. habebat
Omnia tunc nuda & candida ſimplicitas.
Hanc agnoſce meo uepres quaſſante cothurno
Quas hominum generis ſeuerat hoſtis atrox,

Non hic Threicijs defletur montibus Orpheus
Aut gemit Alcides, Acriſiúſue timet.

Ad Nicolaum Belmontium Cardinalem.

Rebus ab his leuibus iuuenilis quas tulit ætas
Iuſsiſti ut peterem limina Cœlicolûm,
Quid facerem? Icarijs ſurſum uérſum auferor alis.
An'ne aliquod mare eget nomine, Nicoleos?

Ad Andr. Matthæum Palmerium Cardinalem.

Quandoquidem ſumus Andrea clariſsime, ciues,
Atq; ideò par eſt gloria par & honos
Pathenope mater cui curæ eſt maximæ uterq;
Commendat miti pectore Protogonon.
Deſerüit cauſam, multa eſt cùm ſanguine uita,
Aſpirat flatu ni meliore Deus.
At patrocinium quòd ſuſcipis & quatis arma,
Vicimus, exteritur cûra timorq́; fugit.
Iam curſum tenet in portum, dulcemq́; ſalutem
Egregiè acceptam iam tibi cauſa refert.

Ad Coriolanum Martyranum Epiſc.

Coriolane, loco anguſto uia uix data, cúm non
Laſciuiendi patuit ulla copia,

Quin ſententiæ, opus fuit, & puriſſima uerba
Vt conuenirent ſeculo illi maximè.
Tu quem Phœbus amat noſtrum cognoſce laborem
Et qua nŏta ſignandus eſt, edicito.

Ad Hieronymum Seripannum.

Seripanne, te cenſore percuperem meæ
Poni umbilicos ultimos Tragœdiæ,
Te Protogonos orat, te & Androgyne óbſecrat
Interpres es quandò optimus ſummi Iouis.

Ad Ianum Branchaleonem & Angelũ Parthenopæũ.

Branchaleo, noſtræ cui ſunt in honore Camœnæ
In pergula propone Protogonon meam,
Quis ſuprà crepidam obſerua, quis iudicet infrà,
Atq; omnia adnotato acuto examine,
Cumprimis noſter quid cenſeat Angelus, in quo
Innixa ſtat Iouis optimi reſpublica.

CVM PRIVILEGIO.

NEAPOLI *Plumbeis formis deſcripſit* Ioan nes Sulzbach Anno Domini M. D. XXXVI.

COMMENT. IN TRAGOED.

APOLOGIA.

EPISTOLAE.

CORRECTIONES.

HORATIVS ANYSIVS FERANTIO FRANCISCO DAVALO.

S. D.

Vſsiſti Feranti Dauale ut ea quæ in Tragœdia Protogono, mihi roganti obitèr reſpondit Ianus Anyſius patruus, aut quæ aliquando interlegendum ipſe dictauit, in Commentariolum redigerem. Ego quid facerem? tametſi ætas & ad tantum opus, ingenium obſtabat, non potui tibi non morem gerere, uolui potius temeritatis, quàm erga te patronum mihi deſignatum inobſeruantiæ accuſari. Atquì aditum fortaſſè ac uiam aperiet hæc mea temeritas ad ea myſteria, quæ aliâs nõ admónitis fuiſſent aut fortè præterita aut non ſatìs percepta, aditum inquam & ueluti longam digito ſi uiam per deuios anfractus demonſtrarem. erunt poſtea qui tenui hoc indicio ad profundiora inueſtiganda acutiorem intendant aciem & illam Atlantis columnam qua tandem ratione Cœlum uertice contingat, & qua, calce Tartara premat, gaudeant inuenire. Vale.

Commentariolus.

Prologus non diſcedit à môre ſuo intermordendum modeſtè laſciuiendi nihilq; obſtat Tragœdiæ grauitas ac maieſtas nam quid cum Prologo Poetæ?

Theatri fornices. ſubcuneales dicit ubi ſubſellia.

Athenis hæc aguntur Atticis. Lex enim erat Athenis quæ prologum uetaret.

Haud Lælio atq; Socrate. Terentium innuit & Euripidem.

De prolixitate Tragœdiæ ipſe prologus loquitur, atqui, quin in duas actiones diesq; diuidatur quis impediet? eritq; quanq; res noua, maioris dignitatis ac maieſtatis.

Tragœdiam grandi ætate ferè coactus ſcripſit noſter Anyſius, quin hanc ætatem decêre ſolet dicere. an imitatus Sophoclem qui ad ſummam ſenectutem ac rem propè familiarem negligens Tragœdiā ſcriptitauit? an Virgilij & Ouidij æmulatus induſtriam, hi quantum ingenio ualerent in Tragœdia facilè oſtenderunt? Scripſit tamen, docendi animo non ut exiſtimo, quando obſtant tempora longè diuerſis ſtudijs occupata.

In Actu primo.

Pithò. Quanquam confine eſt nomen ac ferè idem cùm Pythone ſerpente, quod hic utiq; eſſet conuenientiſsimū, quippè quo autore illa æterna ſunt effecta mortalia, nam πνεὼ græcè, latinè eſt labes & coruptela, tamen hic pro perſuaſione eſt πειθὼ & ſuadela, quam & ſuadam uoluptatem noſtri appellant. Serpens enim parentibus noſtris illa praua perſuaſit. Vtrum tamen libuerit, licebit quantum ad ſenſum capere impunè, nam genus alioquì repugnat.

Protogonon, Androgynen & alia nomina græca in Tragœ-

dia qui græcè ſcit facilè deprehendet cur græcis nominibus ut elegantioribus, uitatis illis aſperioribus ſit uſus poeta, non caret ratione & autoritate, neq; res longa indiget diſputatione. Perſonarum ergò dignitatem, uerborum pondus, proprietatem, ornatum, ſublimitatem, ſententiarum grauitatem & in cunctis decórum qui æquus eſt iudex parum ut arbitror conſiderabit. Tum ferè hic primus eſt uice argumenti Actus. ut non longè quid Tragœdia uelit, petatur, ſuusq; ſingulis perſonis non ſinè artificio eſt ſermo.

Nota primi uerſiculi Paromœoſin, Victa uirtus uôce, & atticam elegantiam atq; Paronomaſian, lugere luctum ut gaudere gaudium, Item numeroſam dictionis maieſtatem & principium factum a monoſyllaba particula.

Cæptis diù. ad mentis refertur infinitatem, nam de Adámo res repentè geſta fuit.

Vltimum leuat malum. Cum prorſùs eſt relictum ſummum bonum. hinc diſcant qui ſpe emendandi ſui, pergunt eſſe ſcelerati, cùm nullus poſtea aut perquam difficilis ſit pœnitentiæ locus. Tamen hic Pithò ea infert uerba ut diffidant porrò ſibi ob tantum facinus parentes, impediatq; demum pœnitentiam. Diffidentia tandem & obſtinatio peccatū ſupremum parit in Spiritum ſanctum. Hæc tacita eſt obiectio aduerſùs Chriſtianorum normam. Pœnitentiæ uocabulum uſurpat ut neceſſarium in noſtra preſertim norma. neq; id perperàm, cū ab analogia non recedat, nam cúr non pœnitentiam ut licentiam & eiuſmodi? Alia etiā uocabula uſurpat è norma Chriſtiana quæ non omninò uiſa ſunt abſurda & inelegantia longéq; ab analogia recedentia.

Digitized by Google

Nil uerba commouêre. nota perpetuã Virtutis & Nequitiæ rixam in hominis pectore in quo ſitum eſt arbitrium utram uelit ſequendi. Virtutem hic aut Veritatem aut Obedientiam ſubintellige.

Captos parat conficere, metaphora ab aucupio aut uenatione.
Oſcitãs Chaos. nempè ſub Neceſsitatis uinculis ac dominatu, informe, confuſum & nondum idéis diſtinctum atq; illuſtratum. poteſt & oſcitatio motus eſſe cauſa, uel ad perpetuum refer epitheton òb pigritiam, id quod ipſum nomen planè expri mit. Omni ſe ramo Pithò impingit, ut dei omnipotentiam neget aut ſaltèm non affirmet, ſuoq; diaboli calumniando, officio fungitur.

Neceſsitate urgente ferrea manu. Neceſsitas tandem antiquiſſima eſt atq; imperioſiſsima, amore enim duce ac motore ideſt ſpiritu diuino ortæ ſunt Ideæ quæ prius cùm in mente tantùm Dei eſſent, in uarias mox formas ſe effudêre.

Clauſtris refractis. Admonendi ſunt lectores multa in hac Tragœdia pèr prolepſin eſſe dicta, nam nulla dum Orbe recenti fuerant clauſtra ferarum, at deorum quorum hi ſunt ſermones fuerat præiudicium facile fore. Si illos intrà uerborum cancellos quæ Orbis tantum incunabula decerent ſe continuiſſet, neq; uerba neq; ſententias ne dum alia condimenta poetica quibus Tragœdiam reſpergeret, poeta inueniſſet.

In locum ſuum. inenarrabilis eſt rebus conſtituendis naturæ ſeriès deiq; ordo ex mentis prouidentia, ſpiritus amore, & filij quem appellat Iouem, ſapientia.

Læta permanet. nulla enim ſpecies quæritur de ſtatu ſuo & morte, præter hominem.

Præſtare forma. Ideæ quidem primæ ſunt multo ob formam pulchriores, in ſecundis uero & inferioribus plus ineſt materiæ & imperfectionis.

Nos Iupiter. plurali utitur numero per ſyllepſin, ſic Virgilius. Vos o Calliope. ut enim illa autor & dux ideſt Pithò materiaq; corrupta omnem erroris refert phalangem, ita hæc ideſt Calliope animaq; mundi omnes alias includit ſorores ob motus partim apparentes partim occultos, Muſas appellatas.

Liuore uictus. catantiphraſis eſt, nam ad diabolon hæc omnia pertinent.

Finxit homines. Tertia hæc ſpecies animorũ eſt immortaliũ.

Aere iam merent. metaphora à militia.

Huc glorioſa e. im. attende Ironiam.

Iuriſdictio. prouincia, imperium, pars prò toto.

Aſſero manu. ſupple in ſeruitutem, nam aliâs erant uindiciæ ſecundum libertatem.

Conturbet ſatum. ideſt décoquat, conturbare nomina aut rationes, eſt decóquere.

An defuit ſucceſſus. perſtat in Ironia. nam Iupiter quæcunq; feciſſet, dixerat eſſe bona, ut in ueteri eſt teſtamento.

Liquat ænea. aut communi prima ſyllaba lege liquat, aut âênea dictio erit quadriſyllaba.

Se iactet ille. quàm inuidioſè ne dicam obſcœnè in Angelos, tu exiſtima.

Abſq; certo ſemine. Ironia in rerum ortum, quem ex nihilò factum fateri ſubtérfugit.

Ambigo. ſingulari utitur numero, ne omnes ſui ordinis ſpiritus ut ita dæmonas appellemus eadem alliget dubitatione.

aut ignorantia aut maledicentia qua ſe obſtringit ob nequitiã.

Quod præpotens. Neceſsitatem, atomos, caſum, & ſimilia innuit principia ab antiquis philoſophis poſita, ut ex nihilo deterat creationem rerumq́ natales.

Syluæ figuras imprimens. ideſt formas materiæ quam græci υλην appellant.

Quod caſus ambitum. ideſt locum & tempus duos maximos Naturæ duces.

Inuenerit ſecreta. neutrum concipit fœm. & maſcu. Saluſt. in Iug. Deinde ubi ira & ægritudo commiſta ſunt.

Occulta uis, ideſt natura cuius uis eſt occultiſsima ut in plantis & eiuſmodi eſt uidere, aut æternitatem dicit eſſe rerum autorem.

Pennis diſcoloribus uolans. Icon eſt.

Diffundat & ſe per, licet nos. parecbaſis uel tmeſis per nos.

Dæmones. confundit uocabula, cúm alij a diabolis qua uoce Chriſtiani utuntur, ſint dæmones longeq́; diuerſi, ſed uſurpant docti.

Magnum'ne aliquod. Anapæſticũ quaternarium eſt metrum finali indifferenti, Et nota ex Angelorum uerbis, ne ipſis quidem Angelis cognitam prorſùs dei eſſe mentem. Hic chorus ex primo erit ordine Angelorum, quo uocabulo libentèr utimur ut recepto & eleganti.

Duplici morte. qua'nam? non liquet. aut uidetur pèr excandeſcentiam dictam eſſe hyperbolen.

An ſic fortè fuit opus facto? nota fatum & prouidentiam diuinam. & repetendus eſt per zeugma uerſiculus.

Medium animal. homo μέσον græcè dicitur, ut qui ex ani

mo conſtet & corpore, quanq; propriè anima eſt homo.

Leti fugiens, ætheris auidum. hinc illud Iani ſimulacrum ut alteris quidem oculis humana prouideat, alteris uerò ſe ad Idéam ueræ lucis diuinæq; mentis referat, ad ſuum ergo principium homo naſcitur rediturus, qui autem aliter ſentit uix homo eſt uocandus.

Diuina ut lex. Secundum eſt beneficium quod ex dæmonum & mox hominum lapſu eſt ortum, quæ beneficia ſi perpendes leuiſſima illa uideantur eſſe commiſſa, quid ſi neceſſaria: nempè undè hæc tanta bona ſint exorta: ut ſunt, lex, aduentus, dei uictoria aduerſus hoſtes naturæ rebelles ſpiritus, Mariæ dignitas, cuius anima antè omnes Angelorum choros eſt nobilior, Verbi incarnatio in uentre uirginis, Dei mora tot annos in terris & alia quæ probè nouit qui Chriſtianus eſt.

Notis nitidis. ideſt ex radijs ſolaribus, phantaſia eſt poetica, qui radij facile corporis oculos poſſint hebetare, animis uerò tantum præfulgere.

Ioue filio. nihil obeſt Iouem appellare Dei filium à iuuando, maximè proprio uocabulo, Deúmq; & patrem aliquando cùm communis ſit poteſtas & imperium, Amorem perſæpè Spiritum ſanctum. at ferè ſynonyma ſunt.

Inuicto animo & robore. & mente & præſentia acceſſit ad inferos Chriſtus.

Et mortalibus & deis. ideſt patribus ab inferno carcere exemptis, & deis ideſt ſpiritibus cæleſtibus ut hoc utamur uocabulo lætis de uictoria.

Igneo in cælo. ideſt empyreo.

Illa Trophæa: quia antiquiſſima cumq; ipſo cælo conſtructa

ideo ab

Ideo ab angelis aliquantum intellecta, nam de morte ambigit ultimus chorus, cúm uitæ.i.deo prorſùs ſit contraria.

Sancti nobile ſpiritus. hic enim ut rerum creatarum autor, ita illas genusq́ humanum deo reconciliauit per crucis ſignũ quod omnium eſt nobiliſsimum ac potentiſsimum undè illa uictoria effulſit. & uoce uſus eſt chriſtiana ut ſupra ſumus præfati. Cur Virtus *quaternaria generationis ſit potens, longum eſſet afferre rationes quas equidem ad* Theologos *refero & ad ſuperiorum uerborum interpretationes. nota* Crucis *periphraſim.*

Regis o *ſummi.* Verba *ſunt profunda & quæ ſolos* Angelos *deceant.*

Incendio amoris. Spiritum *ſanctum dicit.*

Explicatu *ôre non ullo. res eſt inexplicabilis quid deus ſit quæ'ue illum deceat gloria.*

Deorum. Poteſtates & Angelos, *deos appellat.*

Apiſci. *pro adipiſci* Archaiſmos *ac propriè, nam aptè capere ſignificat ut ex ſupino dignoſcitur.*

Plena *harmonia. mundanam ſymphoniarum perfectiſsimam dicit* Diapaſon.

Mentibus *luce ſerenis. quæ ab omni corporea labe liberæ illas nobiles primas* Idéas *facilè poſsint ſuſpicere.*

Vita, *lux &c.* Dei Synonyma, Trinitatisq́ *ſæpè repetita myſtica deſcriptio, & quia referuntur ad deum, relatiuum nomen & uerbum ſubſtantiuum ſubintelligendum eſt.* ideſt *qui es.*

Terq́; *quaterq́. eodem ſe numero perfecto celebrarat* Pithò.

Arbiter Cœli. *ad omnia ea reſpondet* Chorus *quæ ille cri-*

minator ſerpens & maleſuada Pitho iactando maledicendoq́ſupra obiecit.

Ingerit anguis. *uerſus eſt dactylicus heroicus ſenarius. Qui nario & uero utitur in ultimo choro.*

Tempus erit. *uerſus ſunt ſcazontes Saturnij, Choris enim licentia conceditur uariandi numeros, ueruntamen quamq; noſter poeta ut muſicus præſtantiſs. abundat numeris, tamen in hac ſobria Tragœdia ne eſſet durior, abſtinuit.*

O rebus humanis &c. *Quatuor enim ſunt principia, duo quidem mortalia, homo & elementa. totidem uero immortalia, Sphæræ & Cœlum empyreum.*

Conſito Iouis manu. *Nam Paradiſus Idearum eſt plenus ubi Iouis & deorum celeberrimũ conuiuium in Veneris natalibus fingitur à poetis & inde Amor Idearum ductor, quæ omnia ex penitiſsima ſunt Theologia.*

Non poma odora. *hæc copia ex infinitis illis eſt Idéis quas ſpecies infra appellat.*

Condicere, *ideſt ad condictum parare conuiuium.*

Plantauit. *uerbis ſui temporis uſitatis & non inelegantibus libenter noſter utitur, nam ditandam eſſe linguam cenſet. potes etiam legere. Aut pegit aut inſeuit ulli. doct.*

Verterunt breui. *potes paſsiuè intelligere pro uerſa ſunt.*

Me inuitiſsimis. *animata ſe refert perſona, id quod ad perfectionem illarum rerum à deo factarum non eſt incongruum, hodie etiam per manus ad noſtra uſq; ſecula opinio perſuaſit omnia antiquitùs, illo inquam tempore eſſe locuta, hinc ſunt apologi Heſiodi & Aeſopi. Et Menenius Agrippa eiuſmodi apologo ſecedentem plebem, in urbem reduxit. Atqui hanc*

licentiam paſſim eſt uidere apud græcos qui perſonas per metaphoram, allegoriam, Proſopopeiam & alias figuras dant rebus & affectibus. Tu & pro loci genio potes capere, nam ſe ipſum larem appellat.

Hæc mentis eſt ſatelles. figura eſt locutionis. ſic Terent. Solus mearum miſeriarum eſt remedium.

Præſente nobis. archaiſmos. Terent. neſcio quid abſente nobis turbatum eſt domi.

Conſedit alta teg. a. p. nouas leges & imperium portendit.

O'uer. fuiſſe ea omnia in uêre conſtans fama eſt, & non admodùm longo facta interuallo, quanquam aliter uidetur poeta ſentire, ſed poeticè id quidem, & quoniam ad æternitatem uel quæuis longa ſpatia uideantur eſſe breuiſsima, ſed multa concedenda eſſe poetis non ero prolixior diſputare, tum per phantaſiam dicta, tum per licentiam, ſub quibus quidem figuris latent myſteria profundiſsima. Hic tamen poſſet quis item interpellare quo pacto in uêre ea fuerint præter tempus poma? ſed nos iſtæc miſſa facimus importuna & otioſa.

An uoluptas gaudij, cuius ſemper radix amara. & quàm ſibi ipſi Aegyptiorum ſit contrarium exemplum, uide, cùm mortuorum imagunculas circunferebant ut conuiuæ admonerentur & potare & ſe oblectare, ut præclarè poeta noſter in Satyra ad Aelium. σκέλετον hunc morem Aegyptij appellabãt.

Præconis humero, deſcriptio angeli ut breuiſsima ita elegantiſsima.

Horror eueſtigio. immortalitate amiſſa, morbi ilicò, ægritudines & alia innumera orta ſunt mala, hæc & ſimilia peccatum conſequuntur.

Præ regna reliqua quis. præ quis per parentheſin. deeſt ſint per Eclipſin.

Clarigatio. ex antiquo interdicto. quæ uſurpare ingenioſi eſt poetæ.

De ſummo Olympi uertice. Virtutibus theologicis non datur medium, ſed ad unum ſcopon deum tendunt.

Hos trahere collo obtorto omnibus licet. remanet breuis o, ſic in ſecundo Actu. Captus maligno gypſo articulis foris. Virgi. & litus hyla hyla omne ſonaret. & , Credimus an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt? Item uictor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto.

Ni fallere. fatum tacite tangit. atqui tunc minus fallit deus cúm plus fállere infirmis mentibus uidetur, aut quid facere quod minus placeat. Quæ bona illud peccatum ſint conſecuta, ſuperior Chorus oſtendit.

Inanes derelictæ in arido. Theocritus ἐπὶ ξηροῖσι κάθιξῃ.

Promiſit omnia læta. ingenue enim faſſus eſt fuiſſe ualde bona quæcunq; feciſſet.

Cui terra producet. omnes has ſpecies potes ad Idéas referre. Iam ſumus præfati, multa in hac Tragœdia per Prolepſin eſſe dicta, cúm non dum eſſent illa de quibus hæ perſonæ antiquiſſimæ loquerentur, quæ quàm ſit figura elegans poetiſq; conceſſa docti norunt. Idem de metaphoris ſit dictum.

Regniſq; auitis. phantaſia eſt & figura ornatus, ni mauis ſubeſſe myſterium.

Regeſq; ſuccumbunt. eadem phantaſia ac figura, nam non dum erant Reges & Gigantes.

Haud Hercules. pro quocunq; uiro forti, à uirtute.

Abducat illam de manu.maluit dicere q̃ eripiat ut uim quaſi rei animatæ uerbo non improprio exprimeret, ſic alibi, Sol abducens faces. ubi tu auertens potes reponere, ut illic eripiat, ſi libebit.

Foriſq; & intus. ideſt corpori & animo.

Promiſſa æternitas. præſtitit profecto deus quod homini ideſt animo promiſit, item & rebus creatis, nihil enim perit pèr immutationem quã mortem appellamus, ſiquidem ſpecie ſemper permanente, & partibus in locum ſuum concedentibus ut in ultimo habetur Choro, Eſt ergò homo anima rationalis, mentis particeps, corpore utens.

Quid homine nam infelicius. Nota apoſtrophen ad hominum miſerias, qua conuenientiſsimè & tragicè claudit primũ actũ.

Differta. Horatius, differtũ nautis, cauponibus atq; malignis.

Interminato. cum nominè ne an cum uerbo componas, nihil moror. ideſt infinito uel prædicto.

Præterq; fatum. antè diem, pulcherrima è baſibus ſimilitudo à Platone deſcribitur.

Horãi. diereſis eſt pèr Archaiſmon.

Aetatem. potes aduerbialiter accipere.

Spei ſeruit & Cupidini. His enim duobus affectibus omnes humanæ actiones ueluti ducibus gubernantur ac ducuntur, quos duces uero uocabulo ac conuenientiſsimo Tyrannos appellat, quippè quibus tranſuerſa huc illuc uita noſtra feratur, neq; animum excludit dùm corpori eſt ille addictus. Tu Spem & Cupidinem humanos non diuinos intellige, nempè qui ſub magæ Naturæ & Amoris corrupti militent ſignis. magam naturam appellat ut qua mortales facillimè ut præſtigijs de-

cipiantur, fallunt enim neſcio qua ſpecie recti nos noſtra ac naturæ.

In Actu Secundo.

De præpoſtero ordine hiſtoriæ quo poetæ elegantiſsimi utuntur non opus eſt pluribus diſputare, cúm habeas in græcis Homerum & in latinis Virgilium qui tanto cùm decoro ordinem permutarunt, Qui uero faciunt ſecùs uerſificatores illi potius quàm poetæ ſolent appellari, quin & ipſe Virgilius in ſex ultimis libris parùm poeta exiſtimatur eſſe, ut taceam de Lucano & alijs. Ergò in hiſce actibus ordinem permutatum agnoſcito. Quod abluat uix unda. uix prò non θάλασσα enim ut ait Euripides κλύζει πάντα τ'ἀνθρώπων κακά, aut baptiſmum dicit.

Quo' ſydere orta. fœminæ ortæ ſub Capricorno infelici ſunt Venere, uel prouerbialiter eſt dictum. non diſcedit Androgyne à blandimentis quæ propria ſunt mulierum, fœmina enim materiæ, mas uero formæ eſt ſimilis unde perfectio & imperfectio.

Anguis ictus. ſi uis potes de tempore intelligere cuius anguis eſt ſymbolum. ſed de Pythône melius.

Reformidanda in omne ſeculum. maluit dicere quàm in omni ſeculo, ut ad poſteros etiam referat ſceleris damnum. non diſsimili ratione & alibi in omne ſeculum dixit, nihil tamen eſt quod te ſic locata præpoſitio moueat, quando apud poetas ut Virgi. rapuitq; in fomite flammam, & apud oratores, in inſidias locantur. in Codice relata ſunt. in ſuſpicione uocati. profecti in Cælio monte & id genus multa eſt inuenire. indifferenter in loco & ad locum fuiſſe uſos antiquos

facile poſſumus exiſtimare.

Culpæ arguam. in deum uidetur reijcere occultam cauſam, unde fatum.

Illud. ſubſtantiuè, nam paulo ante lætum & amabile dixit & potes etiam referre ad os ut ſit bis replicatum, id quod Tragi*cis eſt peculiare.*

Quid ſi ex deo eſt? nota Iambos *diuiſos inter collocutores, ut ſæpè dimidiati dubium faciant metrum.*

Quo tegmine. pro operimento poſuit tegmen.

Noſcimus bona. boni & mali cognitio guſtato pomo exorta eſt, non enim omnino anguis fefellerat.

Duplici afficimur malo. ut deus eſt μονάσ *ad quam omnia referantur, ita dæmon eſt* δυάσ *imperfecta inexplebilis, & ſe neq; contenta neq; conſtans. duos magnos affectus* Pudorem *&* Indigentiam *agnoſce, atq; hos duce* Superbia *malorũ principe.*

Tenebris per mare. amiſſo Idearum *lumine in procelloſa ac turbida materia* Ioue *ideſt deo, non æquo ideſt tenebroſo. nota metaphoram quæ profundiſsima contineat myſteria.*

Corpuſq; tardat. & corpus & anima erant in noxa, ſed multo præponderat anima cuius miniſterio natum eſt corpus.

Cùm nota licuit poſsidere. Triplex *enim felicitas, cognoſcere bona, attingere, frui.* Græci Eudæmoniam, Eutychiam, *&* Eupragiam *appellant.*

Fortuna *ducat. cõſiliũ fæminarũ repentinũ perſæpè eſt ſalutare & illi primo opponitur per quod eſt aberratũ. aut pœnitentiã innuit unde ſanitas eſſet cõparanda cuius ſpem mox facit.*

At nos libentes ac uolentes. alibi mutato ordine euphoniæ conſuluit, tu uero illic ſi libebit reſtituito ordinem.

Aut tempus . continet ſpe ut poteſt Protogonon ne deſperatio ne in ſupremum malum incurrat. & Prolepſis atq; Cataſceue eſt pœnitentiæ , quæ in quarto actu abſoluitur.

Sed hactenus. ex decóro facit Tragœdiæ perparùm in re iucunda immorando.

Si permanet ſcientia . Adam & Maria perfectiſsima à Deo donati ſunt ſcientia.

Præclara pignora . Ironia in affectus.

Dudum pudore. illo quidem certe imperioſo animorum perturbatore ex Stoicorum ferè ſententia qui πάθη quoſcunq; appellant affectus ſiue bonos ſiue malos.

Inde cætera . ideſt per ordinem. Virg . Cætera parce puer.

In illa uirgine . nihil eſt mirum ſi hac affectiones dignatur appellatione , qua & furias dignantur poetæ uirgines appellando. Quod tot illas epithetis circunſcribat, & iure id quidem optimo, propter multiplicem uim & effectum, breuitatis potiſsimum cauſa facit , cúm aliâs ſoleat illis coaceruandis abſtinere , pudorem bonum hic intellige.

Sit inuenire ſtillam . per phantaſiam atq; aſteiſmon dixit & ornatum, aſperitasq́ oritur ex urbanitate quæ mutato loco & perſona fit ſeueritas.

Quam . ſ. uirginem.

Scandens repoſtos montibus montes . per prolepſin Giganteum bellum innuit.

Retundet aurei Solis a. iubar . hyperbole in inuidentiam, & pèr futurum tempus talem merito effectum ſignificauit, cúm alibì pèr præſens figuratè ſignificarit . confundere tempora ſæpè ſolent Poetæ.

Ingens

Ingens. nota epitheton conuenientiſsimum Terrori, Virg. In *gentem* Aeneam.*aut antonomaſia eſt. quòd flagello armetur, tu animaduerte myſterium.*

Cur *illa* Amoris. *nam utè x* Amore *ſanctoq; Spiritu timor & dolor ab impoſita hominibus proptèr delictum, à deo pœna, ita caritas adeptioq; oritur ſummi boni;* Initium *enim ſapientiæ* Timor *domini.* Et *à domino,* Paries *cum dolore, & uiues cùm labore, dicta pœna eſt.*

Illum *ferocem.* Martyres *circunſcribit quibus omnia præ domini amore leuia ſunt tormenta.*

Imprudentibus. *ideſt ualde prudentibus.* Catullus. Attigit *iniuſti regis cortynia tecta.*

Nos *illa dempto. f. c. emphaticòs ſerpentis fraudẽ intellige.*

Semperexpetensmali. *una eſt dictio, decent demum* Tragœdiam *iſtiuſmodi uerba ſeſquicubitalia.*

Torua *ut illa, rigida, trux. ſic ordinato.* Torua *frontem, rigida ôra, trux lumina.*

Quæ *lingua tum uix nominet.* Tormenta *ænea noſtri ſeculi dicit incredibili ui & impetu.*

Hæ *triplici cõplexu. ſic complicitæ hæ perſonæ prodeant in ſcenam, belli furor,* Fames, Peſtilentia. Tu *longam hyperbaſin ſic ordinato.* Enyo *quæ cincta ferro &c. & rabida* Fames *&c. & eius aſſecla* Peſtilentia *&c.* Hæ *triplici complexu &c. mediæ interpoſitiones facilè dignoſcuntur.*

In *glomus. uel inglomum ſi mauis.*

Satis Ioue. *Eclipſis eſt, pro à* Ioue.

Captus *maligno gypſo.* Podagræ *eſt periphraſis. & remanet* O *uocalis.*

Non mortuus non uiuus.tales profectò ſunt illo infelici morbo affecti quem Gallicum hodie uocant.& antonomaſicè prò maiori atq; atrociori morbo poſuit. Epitheta potes ad hypallagem referre.

Qui ſe ſe ipſo. permanet uocalis breuis. ut Virgi. Credimus an qui amant.

Et naribus ſagacibus. homœoptoton.

Quæ æquare. t. n. a. ſ. Triáda ſeu trinitatem uocabulis uſitatis dicit.

Venatur animos. Sophiſtam pſeudoq́; monachũ circunſcribit.

Natura quæ prod. ex dei enim uoluntate omnia facta ſunt.

In bruta ubi. de Circe nota eſt fabula.

Quæ lingua cœt.i.affectus infinitos animi.

In diſpari illo. quæ uirtutum eadem eſt uitiorum proportio.

Plena uitiorum phalanx. plena phalanx certo militum numero conſtabat. ſed hic prò numeroſa multitudinè ponitur.

Liberûm. apocope prò liberorum.

Themis. ideſt rerum omnium fatum antiquiſſimum.

Hæreditate liberis non redd.ideſt bonis animi, unde felicitas, nothos appellat affectos òb peccatum parentum quibus uera hæreditate promiſſa à deo, erat interdictum. creui hæreditatem Cicero ad Atticum dicit.

Temnat. apheresis pro contemnat.

Mutuo fall.ideſt permutatis uicibus, ni mauis pèr acyrologiã.

Obnuntiauit tempora. Vaticinium eſt quod ad tempora noſtra maximè pertineat.

Olim futura iam. pèr anaſtrophen, Iam olim.

Non ſancta erit lex ſanguinis. Fabulas decantatas refert

Thyeſtis præcipuè,qui Aeropen fratris uxorē ui ſtuprauit, cui puerum epulandum Atreus appoſuit, Idem Pelopæam filiam inceſtauit, hinc Aegiſthus patris ultor.De Oedipo fabula quidem eſt notior. ijſdem uerò criminibus alij à poetis feruntur,quorum hiſtoria eſt obſcurior.

Septimam diem mundi. prò ſeptena annorum chiliade.

Impotenſq́ Aëoli uis. pèr diæreſin quadriſyllaba erit dictio Aëoli, ſic Ouid. lib. ſeptimo Met. Iſſe ſub amplexus Aſopidos Aëginæ. Catul, Iam iam dolet quod egi iam iamq; pöënitet.

Superba regna uertere. romanum dicit imperium quod fide & religione in immenſum creuit.

Depreſſa tollere. nam paulo ante æquare dixit, & nota metaphoras.

Lêge abrogata pèr ſcelus, Almæ parentis. Tu cacoſyntheton dirige,lege abrogata almæ parentis pèr ſcelus.

Mox arte nulla. Atrei ſeculum fabuloſum, aut ſupremum dei iudicium dicit.

Fuluum ſub Indis occulet Sol caput undis. paronomaſia eſt.

Iouem opt. Iouem ſeruatorem & Chriſtum eſſe eundem aperte fatidica Themis oſtendit.

In Actu Tertio.

Malùm. interiectio eſt.

Nil turpius. Catholica eſt ſententia.

Miſerè nutat ſalus.ideſt ualde. Tres Principes ſunt uirtutes, Spes, Fides & Caritas. Inſimularier. paragoge.

Nam uera non & iuſta. dirige cacoſyntheton.

Oneris humeris. Paronomaſia pulchra, quanquam aliter

Donato uidetur.
Tricata cur ſim. tametſi uulgare uidetur uerbum tamen ut à proprio non abhorret Cicero. aliâs morata.
Amicum ut odi. licentioſus eſt uerſus ſyllaba abundāti, iſtiuſ modi inuenies ſæpè apud bonos poetas, Lucretium præcipuè & græcos.
Potuiſſem hoc. m remanet. ut Lucr. ſed dū abeſt quod auemus.
Illo nil laborioſius. per Periphraſin Polyponon exprimit.
Aduentum ego opportunius. Virg. Aduentum Aeneam.
Poſtulabat pol uirum. acyrologia eſſet ſi ad illa tempora reſpiceres, ſed quis impedit ut noſtri temporis uerbis utamur? at neq; hodie noſtra permittit religio pèr Pollucem deierare. attamen poetis hæc & eiuſmodi facilè conceduntur, cùm priſcis doctis loquēdū, cùm religione ſentiendū eſt, nulla enim ſic turpitudo aut impietas ſit in uerbis, modò modeſtè agatur.
Quid eſt Nemeſi. ſeruat decórum perſona ruſtica ut dimiſſis prologis, fucis & orationis illecebris ruſticè reſpondeat.
Amoris erga te atq; Tiſin. rei dicit analogiam & conſequentiam. Nemeſin quidem ideſt indignationem Tiſis ideſt animaduerſio, Tiſin uerò Polyponos ideſt pœna aut pœnæ effectus, ſequitur ac uelutì alterno amore quandò res ſunt intèr ſe concatenatæ ac coniunctiſsimæ, proſequitur. Quæ partes quàm deo ſint propriæ, qui Iuſtitia eſt, omnibus qui diuinos libros legerint, res eſt luce clarior.
Amoris alto incendio. & hæc analogia utiq; pulcherrima, ex bonitate enim amor, ex amore autem proles & generatio. Illa quidem patris eſt bonitas, quæ pèr amorem & ſpiritum pari potentia, æuo & honore filium parit. Verùm hic de

ſecunda Trinitate tractat ut proles animæ noſtra ſit, atq; adeò non diſsimili ratione proportionis, aut neceſsitate ob rerum creationem. ſed ipſemet poeta apertè hæc declarat. Animæ ergo potentiam ob rerum & Idearum ſcientiam propter perpetuum curſum & recurſum ab uno ideſt deo ad punctum ideſt corpus per lineam rectam, quatuor intermedijs gradibus, ideſt mente, ratione, opinione & natura, miram eſſe intellige. lineam moderantur Iupiter, Apollo & Muſæ quæ nouem ſunt cùm totidem ſint mundani Cycli, eas breuiter duobus uerſiculis comprehendi. Calliope, Vranie, Polyhymnia, Terpſicoreq́;, Clio, Melpomene, Erato, Euterpe atq; Thalia, à quibus dij ſunt poteſtatesq́; Cyclorũ orbiumq́; cœleſtium. ſed in immenſum procederet ſermo, ſi omnes uellem complecti rationes ac myſteria.

Nobilior ante Cœlitum. de nobilitate animæ noſtræ iam dictum eſt. Anima quidem certe Mariæ & Chriſti multo omnibus cœleſtibus ſpiritibus eſt excellentior.

Lucis Olympi. phãtaſia eſt niſi mauis myſteriũ quod ad Idéas & ignem diuinũ referatur. Et philoſophorum eſt, omnia item eſſe in cælo quæ in terris ſunt, ſed puriſsima nulliq; ſubiecta labi & corruptioni. potes interpretari hortos ubi Veneris natalis & Ideæ. De igne diuino unde illuſtris habet ortum anima, lege libros ſacros.

Eadem amoris face. prothyſteron in ordine rerum creatarũ.

Coloribus aut cælo ad unguem. metaphoricos.

Machinam mundi abſol. Mundi pulchritudinem per periphraſin enarrat.

Cælum Cyclis. aliâs Orbibus.

Nocti & die librata. nempè ad perpendiculum, ex hac enim li bratione umbra & lux, nox & dies ſyderumq́; aſpectus irra diationes & quaſi impreſsiones unde omniũ infrà lunã ẽ rerũ generatio, interitus & conſeruatio. Noſtri eſt poetæ hoc inuen tum pulcherrimum. die datiui eſt caſus antiqua declinatione.

Vt alia aliam trahat. ideſt ſecunda tertiam & deinceps in in- finitum, nam ordinem dicit, quæ ſymphonia & ueluti rerum concatenatio muſicaq́; ſoli deo eſt nota, ſed quod ſit ac neceſ- ſario ſit ad proportionem conſumendam nos homines ne cogi- tando quidem aſſequi poſſumus.

Abiectior quæ habetur. maioris enim admirationis eſt in te- nuiſsimo uermiculo omnia ineſſe membra quibus uita conſtat, quàm in Elephanto aut alia ingentiſsima belua.

Vnum ad ſignum. nempè ad autorem deum eiusq́; admirabi lem ſapientiam, modò æſtimator æquus contingat. nam hæ- retici & Epicurei ualeant. Mundum & eius partes celebrat.

A platone hæc in Timæo diſputãtur quanquàm contraria uideri poſſunt non nulla noſtræ Theologiæ.

Actis hoſtibus. pro exactis, aphereſis. qui hoſtes ſint uaria eſt ſententia.

Cui corpus eſſet & animus. microcoſmos eſt homo, nam mun dus prò animo qui lẽ cœlum, prò corpore uerò terrã uſurpat.

Vtraq; alterius imago. ideſt corporis & animi.

Et ſignis. prima breuis natura eſt in ſigno ut in ſigillo eius diminutiuo apparet.

Binos feroces equos. per Allegoriam Temperantiam & con tinentiam dicit, uel ſi mauis Iram & Voluptatem.

Vitæ per æquor. ſ. d. u. corpus animi eſt uehiculũ ex Zoroa

ſtri magia.
Hic nōſcit unus. ideſt ſe ipſum cognoſcit, ideſt animum, tum quid animū, quidue corpus deceat, deinde cæteras res creatas.
Pulcberrima. ideſt bona animi, quæ cum primis amanda ſunt. id conſequimur ſapientiæ deiq; ductu, quò omnem dirigere mentis aciem debemus, ea demum ſpecula nos ideſt animam intueri ac cognoſcere quimus, & conſequenter cætera quæ ignorat porrò qui ſua non norit, hinc felicitas & infelicitas, ideſt prudens & imprudens, bonus & malus, liber & ſeruus, ſaluus & afflictus.
Demiſſa funis. inter deum enim & hominem illa intenditur admirabilis harmonia diapasôn. Iouis catenam, & Atlantis columnam item uocant poetæ.
Menſura numeris abſoluta & omnibus. & prò ideſt.
Ratione itemq; . triplex in homine eſt potentia. Ratio, & pèr Naturæ eximiam paronomaſian una addita literula, Oratio, item robur, quod eſt utriuſq;.
Hos æquat, hæc auertit. ad illa tria ſuperioris uerſiculi mirabili arte ſunt relatiua. atq; ad illa Xerxis cantatiſſima uidetur alludere.
Cæloſq; mente ſcandit. Lucr. in. 2. Quis pariter cælos omnis conuertere. numerò poſuit plurali ut diuerſas ac infinitas illius regni potentias oſtenderet.
Voluit id pater quoq; nã uelle & poſſe in deo ſynonyma ſunt.
Felix cūi nitet. duarum ſyllabarum cūi legito.
Perduellibus fuſis. ideſt affectibus.
Fundum quod ortum. ideſt paratum fructumq; fundens.
Erroris hauſto poc. non temerè eſt fictum à poetis in Iouis

femore altum Bacchum & è capite natam Mineruam.
Seruauit hortis arborem. non diſcedit à ſimplicitate hiſtoriæ.
Prudensq́ rerum. quod ignorantiam Protogonus ideſt Adamus argueret, erat nihil.
Impuras manus. intellige hic Eucbariſtiam.
Securus. ideſt ſinè cura.
Qui illuxit. prodigia ſolent præcedere res magni momenti.
Edois anima. ideſt Boreas.
Iſtæ architectantur. ideſt mulieres numero ſingulari ut robuſtiori uſus redit ad pluralem pèr ſiguram euocationem ſubintellecta uera perſona.
Qui teruntij fecer. Illas dicit nationes quæ uel uili boue mulierem permutabant.
Conſecratum eſt caput. in remanet.
In ſcelus irata. potes per Synecdochen pro ſcelerato accipere.
Præterq; propter. archaiſmos ut in quinto Actu ſusq́ deq;, nam loco audendum & antiqua uerba repetendum. Tu compone cacoſyntheton ſic, nil agendo prætérq; propter & perperàm. recipit libenter hæc remota & antiqua Tragœdiæ grauitas.
Opus ad Caucaſi. pèr phantaſiam ad Prometheum alludit.
Liguries. ut eſuries. *Vnus ouis. archaiſmos in genere.*
Pèr errorem. De opinione & ſcientia hic ſtrictìm quæ Plato diffuſè in Theeteto.
Labore homo exercèri. hæc enim à Deo præfinita eſt pœna, ut in labore uiueret.
Iam diu tandem pari. à quartæ coniugationis uerbo pario.
Lauda. op. p. opus pulch. ideſt finis laudabit operam ex trito prouerbio.

Triones

Triones geminos. ſic antiqui appellabant boues. & nota tot inſtrumentorum ruſticorum elegantiſsima nomina.

Corneaq́ biuilla. donauit latinitate uocabulum non inelegans & fortè antiquis uſitatum. magnæ profectò eſt uirtutis feliciter id facere terminosq́ linguæ proferre. tantum abeſt ut uitij arceſſam id quod multi nimis ſuperſtitioſi faciunt. Sed non minor eſt uirtus præclara ac perſpicua periphraſi rem ſignificare, quam omnes facilè intelligant uel quibus res ſit ignota, ne dum illi qui Campaniam incolunt qui eo nomine Tribula appellant.

Atq; abundè homo habet. ſic Virg. Stant & Iuniperi & caſtaneæ hirſutæ. Item, & uera inceſſu patuit dea, ille ubi matrē.

Dira perſuadet. metrum eſt trochaicum ſeptenarium cùm cæſura ut ſuperius eſt anapæſticum ſenarium, ultima indifferēti.

Ira & indignatio. nota qua dexteritate illa græca nomina latinè exponuntur.

Nutantia tecta. periphraſis nauium.

Pollincēre. ideſt curare funus cadaueri.

Vultis tergeminæ. i. Piſcatoriæ, Aucupatoriæ, Venatoriæ.

Hinc Orias. ideſt nauiculas piſcatorias quas multipedes à remorum numeroſitate, pèr metaphoram appellat.

Ne digna lacu. Vulgarē tangit fabellam de medico & aucupe.

Turris capite a. p. ad illam Nembrothi turrim aliaq; inſana ædificia quæ ſuprà ſunt humanas uires, ſpectat.

Cruciatibus perpetuis. exterendus eſt ſibilus. archaiſmos.

Fulmina Mulcibris. metaphoricòs.

Iam ſigna conferenda. metaphora à militia.

Mulcibris ſubuculas. ignitas tunicas dicit.

Taurum Carchedonis. ideſt Carthaginis.

Factis fore hæc maiora. nam in rebus tantùm hiſce inferioribus & humanis medium reperitur.

Indolentiæ doctor uel aſſertor. Stoicorum iactantiam & ἀπάθειαν deridet.

Hinc libera affectatur. Ironia eſt in primos parentes qui ſpe quam Pithò fecerat bona & mala cognoſcendi & omnia adipiſcendi quæ ironicè hic narrantur, tam fœdè in deum peccarunt. Tu mycteriſmon perpendito.

Aſpectumq; deteſtabitur. id quod miſerorũ ac furioſorũ eſt.

Tris furias. peruerſè interpretando, furias & monſtra appellat Chorus, Indignationem, Vltionem deiq; ſupplicia.

Cernere ſit potis. ideſt decernere per aphereſin ſimplex prò compoſito id quod hamatæ eſt mentis uafræ & inſtructæ malis artibus.

Diuinæ luci. i. animæ quã paulo poſt diuinã ſcintillã appellat.

Horrida ſydera. uehementia, ut hœdi, Arcturus, Orion.

Seminibus ſátis. ideſt elementis.

Perdere, perdere. Tragica eſt epanalepſis.

Mens, intellectus. animaduerte diuinam τριάδα.

Res creata. metrum Trochaicum Scazon.

His tangere. metrum anapæſticum.

Omnium pulcherrimus. Vnus quidem certe mundus omniũ implet rerum pulchritudinem.

Quippe qui exemplar te habet. deus enim ſupremus ac maximus eſt mundus.

In Actu Quarto.

Stulti inuenire q. h. put. ho. Summum bonum non eſſe in

rebus quæ infrà deum ſunt, euidentibus agit argumentis.
Longis notis. phantaſia eſt ad Tabularum *deſcriptionem.*
V*num reliqui. ideſt* Deum *& conſequenter àb eo exortum animum, qui à materia ſeparati pèr omnes diſcurrentes numeros redeunt ſemper in ſe ipſos & ad unitatem.*
P*lura dum quæro. ideſt corpus, materiam & quæ numero continentur imperfecto, nullamq; reddente proportionem.*
P*ræterq; fatum.* Homerus. ὑπὲρ μόρον.
Q*uæ prima. ideſt præcipua, principalia.*
C*ur nigra radix. moly circunſcribit dè quo* Homerus. κ. R*apſodiis. amoletum eſt aduerſùs præſtigias.*
E*xplicemur bis plagis. mutat numerum artificioſè* Virg. O *Melibœe* Deus *nobis hæc otia fecit* Nanq; *erit ille mihi ſemper deus.*
A*d fata iam damnata. ideſt ad mortem ex deſperatione, quod peccatum eſt ut aiunt, in* Spiritum *ſanctum.*
P*atre clementiſsimo.* Anadiploſis Tragœdiæ *familiariſsima.*
I*niuſſu abire dè loco. ideſt dè uita, allegoricè.*
N*on nidor ullus. Salubre diæ pænitentiæ præceptum, nullum uotum aut ſacrificium puritate mentis deo eſſe acceptius, & indè tacitas preces quæ ex imo cordis ſacrario proficiſcantur tantumq́ exprimant humilitatem ut hoc utar noſtrate uocabulo, nullis quidem uocibus hoc & illud poſcendo, quaſi ignoret deus quid tandem ſit quod poſsit maximè prodeſſe. ex hiſce inquit precibus illa oritur proportio atque utriuſque mentis irradiatio unioq; uiſo nempè ſimili lumine.* Et *nota ſententias breuiſsimas ac grauiſsimas quæ &* Deam *&* Protogonum *deceant ſapientiſsimum.*

Caula. appoſita metaphora. nā dè hoſtia opima præceſſit comparatio. uel ἀπὸ τῆς αὐλῆς. & nota ſyllepſin.
Fatumq́ uincit. commutatur à deo fatum pèr gratiam.
Materia uirtutis. idest ut uincas non uincaris.
Quæ tela contorſit, ea uulnus confouet. Vxor enim Eua, quam appoſitè Androgynen appellat, conſilium dedit pomi guſtandi, nunc uerò dat peccatum pœnitentia purgandi.
Faciendi habebam in animo. Cicero nauigandi dixit.
Quo te ôre pater orau. Næniæ modulationem, quam Litaniam, ut græci, appellamus, exprimit elegantiſsimè. & aduerte ſeptem uerſus intercalares ad ſeptem delicta capitalia, hoc quidem ordine, ut prima Nænia ſit in Superbiā & deinceps in Luxuriam, Gulam, Acidiam, Auaritiam, Inuidiam, Iram. Vltima uerò etiam continet confeſsionem.
Ne domine bili prò tua. prò uiribus uerba quæ quàm elegantiſsima in ſacris habentur libris, nullo ordine non ſeruato, nititur retinere & exprimere, cúm id non datur nec facilè ab elegantia romana admittuntur, tum uerba & ordinem mutat ut nihil tamen à recta aberret & à Catholica diſcedat norma, multa etiam eâdem ratione dè ſuo addit, quæ tamen à diuina ſint eruta ſapientia & diſciplina. quo ornatu & quibus conſpergat orationis luminibus, lectores eruditi iudicabūt.
Stillare credas ſuccinum. hypotypoſis eſt.
Orci retrorſicorporis. ita enim nouo & eleganti epitheto Orcum appellat, quippè in quem pèr caput umbilico ténus ſit deſcenſus, at ſi in aduerſam alterius hemiſphærij partem ſit euadendum ab umbilico item in caput eſt iter, ut infiniti corpor atq; retrorſicorpor ſit ſemper, nempè capite hemi-

ſphæriorſum uerſo, cõfuſis autem pedibus. Et *hæc* Dantis *flo rentini, itemq́; noſtri* Anyſij *in ſatyra ad* Ant. *Epicurum eſt ſententia. & nota compoſitiones uocum quas* Tragœdia *libenter admittit.*

Aeratiportæ. *compoſitio* Homerica *latinè duriuſcula, ut domiporta.*

Noramus *heu qui ſemitam.* Allegoria *eſt.* Perſius. Virtu*tem ut noſcant intabeſcantq́; relicta.*

Amens *nos* Amor. *nempè iſte uoluptarius relicto illo diuino* Idearum *duce pulcherrimo & præſtantiſsimo. uoluptarius* Cupido *ſpecie quidẽ fallit & caſibus implicat, ut mox oſtẽdit.* Sigillo *adamántino. nota phantaſiam.*

Non *mœnia alta aut obſtitit arx. Syllepſis eſt à numero, & ad troianas res alludit græcis hoſtibus fraude & dolo rem gerentibus.*

Quis, *reſtitiſſes. ideſt ſi quis.*

Fallente *ſpecie ſubdola, ideſt formis &* Ideis *ſecundarijs non ueri ſed falſi* Cupidinis.

Ex *heri albo. ideſt tabula prætorij,* T*eſſeram alibi dixit, quam matricem & pictacium recentiores appellant.*

Pugnare *tecum quis uelit.* Antipophora *eſt.*

Certant *ſemina. ideſt principia & elementa.*

Securi *& faſcibus. pòſt dei flagellum* Panos *arma, & ad* Romanorum *alludit ſeueritatem.*

Perſtrictaſunt*q́ lumina.* Ita *enim à* Sôle, Lûna *& ſtellæ lucem mutuantur ut à deo* Sol. *eádem ratione à mẽte animus.*

Aut *flamma forti è dext. periphraſis fulminis.*

Flumine *uiuoq́ fonte. nota baptiſmum.*

Ille ille ſemper permanet. obiectum ideſt deus quanquam tenebris quas parit nequitia, impeditum, ſemper tamen idem manet ſplendidiſſimum & lucis Idearúmq; pleniſſimum, dè hoc Sôle loquitur undè pulchrum & bonum.

Factum uoluntas arbitrium. nam tale eſt beatis, quibus firmum eſt arbitrium ad bonum, dum æterna illud lætitia conſequitur ac uoluptas. purgatis enim hiſce terrenis ſuccedunt cœleſtia, & omni ex parte felicia & immortalia. & nota fatum referri ad deum quātum ad ſcientiam, arbitrium uerò ad hominem quantum pertinet ad uoluntatē. Cóntra, Tyrannis arbitrium fit lex mortalibus exitioſa ac letalis.

Prandium amariſſimum. utpotè pomi illud.

Quæ nota ſunt. Cognitio enim & intellectus duæ ſunt maximæ animi potentiæ.

Exempla tu oīa edito. hic de Purgatorio, mox de Paradiſo, dè Inferno uerò ſparſim multis ī locis. utor uocabulis chriſtianis.

Impunè facere. ſæpe enim permutat pœnam deus ex Clementiæ fonte abſq; Iuſtitiæ detrimento præmiſſa confeſſione & pœnitentia, & hinc ſequens Actus præcipit materiam conſtatq; maximè.

Non Ditis Albo. prò foro, pars pro toto ex metonymia.

Nam fulſit Oriens. quid mirum in re tantæ molis? ſi Valerij Coruini propugnator Coruus Orientē uicto Gallo hoſte, tenuit. & nota dè diuinatione quantum animi beati & nos ſcire poſſumus, ut illa antiquorum facilè deridenda ducamus.

Suauiſſ. animi harmonia Temp. ferè oēs alias complectitur uirtutes Temperantia, hæc in Protogoni conſtantia ac fide maximè eluxit, qua ſe à deſperatione continuit.

Gaudere, gratularier. conſtrue ſic, mihi erit gaudere uobis & gratulari maximè.

In hoc opinatum. i. inopinatum. pèr diacopen uel parentheſin uel Tmeſin.

Inuſitata lampade. nam quos amat deus pleniori illos aſpicit lumine, cóntra, animæ damnatio luminis eſt orbatio. ex hac irradiatione pulchriq; lumine naſcitur animis puris diuinatio, nullo labore fieri irradiationem credimus, ut diximus moxq; dicemus. De Paradiſo Metanœa tractat ſuccinctè.

Tu ipſa uidiſti obſecro. Deæ quidem certe Metanœæ fuerat conceſſum uidere, non autē parentibus niſi uſq; ſtatū in tempus nempè redemptionis, aduentusq; Chriſti Iouis noſtri ſeruatoris. interea Regiæ & curiæ uſus erat illis prorſùs interdictus de ſanctis patribus & loco pœnæ in inferno res ſatis nota eſt. Interlocutiones hic parentum ferè à propoſito ob nimium ſtudium longè aberrant.

Quanquā illa nec hic in. m. d. m. Quatuor ſunt neceſſaria in diſputatione, Num, quid, quale, propter quod. Dè dei eſſentia quanq̃ ſatis apertè hic, nō eſt tamē pluribus diſputandi locus, Itē de filij ſapiētia quā rerū decuit generatio principiū & creatio, at myſteria ſunt q̄ grauiori lōgioriq; indigeāt cōmētatione.

Nulla per erit nos. pèr nos. parentheſis aut parecbaſis.

Nil eſt deo aſsidentibus. deum ſupra dixit, utroq;. n. modo licet dicere, ſed conſuluit aures quarum iudicium eſt ſuperbiſſimū. & nota in Elei. i. miſericordiæ hoc deſcēſu, nihil dè uirtutibus detrahi cœleſtibus cúm ad nos illæ deſcendunt, imò potiùs nos ad ſeſe trahūt mirabili intèr obiectū & ſubiectū ꝓportiōe, quā inter imaginē & ſpeculū cauſæ & formæ ui uidemus.

Satis ille mater. merito honore appellat matrem nam Pœnitentiæ Miſericordia ſuccedit filia. Attendant patroni & Reges, Eleumq́ & eius uerba memoria teneant atq; obſeruent.
Verùm hic patroni officiũ pèr prolepſin ab Eleo explicatur.
Locet. prò collocet.
Humana impul. neceſsitas. quæ arbitrio paret ambiguo, cũ illud dei ſit conſtantiſsimum, idemq́; ſit uelle & poſſe.
Vt corde qui paſcatur. Ideo Hieroglyphis Hieraca ſymbolon habet.
Infecti h. in loco ἴσον ἀπραξία *dixit Euripides.*
Si ferreo obſtrepet. Iuſtitiam rigidam tacitè uidetur taxare.
Præ nitet præſentia compone, præ præſentia per diæreſin.
Pèr illa ſcire quam malè, ideſt perquam malè ſcire illa. diæreſis uel parentheſis, ſic Homerus in Margiten.
Ementur uſq; iudices. nulla mediusfidius corruptela eſt perniciosior.
Poſuiſſe monumentum. Quid ſi famæ auſpicijs hæc ad autorem referantur?
Commiſſa quod ſperare. adhuc perſtat in deſperatione, aut pèr ſummiſsionem dicit.
Quod bonis fit haud perit. Nec fit iniuria bonis, nec quicquam perit dè beneficio, παράδοξον *& ſentẽtia receptiſs.*

In Actu Quinto.

Nota Conſtitutionis utriuſq; partes, quo ordine, quibus figuris, quo proœmio, qua conciliatione, Confeſsione, Deprecatione, Depulſione, Inſinuatione cauſam ut in ancipiti genere & admirabili, exordiantur, ad deumq́; aggrediantur. Tum quibus argumentationibus, propoſitionibus, obiectionibus,

nibus,demonſtrationibus,circuitionibus,nunc recedendo nunc accedendo progrediantur. quæ deniq; quanquã generali & ſimplici, attamen perplexa & dubia conſtitutione, in uerbis,dictis, ſententijs, affectibus, iucunditas, aſperitas, urbanitas, grauitas, dignitas, uis, crebra, ſubtilis, mouens, demulcens,deprecans, penetrãs,dominans, imperioſa,artificioſa,magnifica in utraq; pari laude artificioq́; inſit oratione, atq; ita occultè inſit ut uix diſpiciatur. In deliberatiuo genere ac iudiciali ferè omnis actio hæc uerſatur,& locis cõmunibus abundat ut quæ commiſerationem, & indignationem contineat, ſunt hic uerba robuſtiora & ſententiæ ut facilè à contentione ſermo diſcernatur. Cur primæ partes dentur Miſericordiæ antè reus quàm ſit peractus,in fine orationis diſputatur,niſi mauis per præoccupationẽ quæ propria eſt Miſericordiæ id eſſe factum, & quod diui Elei tale ſit præiudicium,ac de Iuſtitiæ conatu,prædiuinatio.

Te Rege corã.ordina ſic.coràm te iudice,Rege præpotente. Primi parentis o.n.eſt s. A confeſsione incipit narrare ut reddat iudicem omni remota arrogantia æquiorem utq́; indè per inſinuationes & argumentationes poſsit liberiùs confutare.nota occultam partitionem.

Horum fruendi. Terent. date creſcendi copiam nouarum.

Sapientia eſſet. bonis enim & corporis & animi cunctis donati ſunt à deo primi parentes.

Aduênit hora. dè fato diuino & humano reijcio lectorem ad philoſophos chriſtianos.

Pede laneo. aliâs plumbeo.temporis ſunt epitheta.

Appetentemſemper. una eſt dictio.

Procliuiore corp.excuſatio à natura,ætate & tempore.

Diuerſa ubi uis. nota Syllogiſmum à neceſsitate.
Eſt uictus ardent. Cup. obcæcata ratione eſt uicta uoluntas.
Mandata conturbauit. extenuat culpam. & locus eſt communis à tranſlatione. Exceptio enim eſt aduerſùs præſcriptionē.
Vicit pudorem. bonum nempè Pudorem & Virtutem.
Nunc eſt uidendum. leuius enim eſt peccatum Voluptatis ſiue Concupiſcentiæ ut hoc utar uocabulo, remota auaritia. & nota qua dexteritate lenit quod prorſùs nequit purgare.
Sine bona ſpe. pathos ad miſericordiam impetrandam.
Priuatus illis commodis. pathos ſeu commiſeratio.
Doloris in ſalo. perſtat in metaphora, nā iacturā rerū dixerat.
Proteruiam. ſacrificij eſt genus in quo omnia prorſùs abſumuntur ut nihil ſit reliqui aut hoſtiæ aut rei cuiuſpiam ad hoſtiam pertinentis.
Ni delit. q. f. h. myſterij. aduentum & incarnationem & cætera Chriſti præſumit myſteria.
Ad dignitatem immenſam. nam maieſtatis fuit crimen.
Sit morte condemnandus. nota pulcherrimam conceſsionem.
Omnis creata res. argumento conuincit unà cùm parentibus, omnibus eſſe rebus pereundum.
Addo illud. nam eandem ferè ſententiam ſupra attigerat. quid enim nocet bis dicere quod bene dicitur?
Ea eſſe te ſententia. Stoicorum fuit & Zenonis.
Mutare uellent. pèr inſinuationem, parentum pœnitentiam inducit hyperbolicam & hanc quidem.
Erroris ergô. ìdeſt proptèr.
Menſura flumine hoc. ideſt fluxu & refluxu rerum, Ex Heraclito. rebuſq; & hominibus accōmoda eſt ſententia pèr digreſsionem dicta.

Imberbi adhuc. uera & antiqua forma eſt uſus. Varro. *Imberbi iuuenes.* Cicero. *imberba iuuentute.*

Peccare nunquam. Pittaci eſt & Simonidis.

Nam permanere arbitrium. per parentheſin lege.

Pœnitentia duce. iram & libidinem pœnitentia mox ſequitur & dolor.

Proles Amoris. *quanquam diuini, corrumpitur tamen hic à corporis affectibus quorum pater genitorque* Amor *eſt humanus* Veneris *humanæ filius, ex ſubſtantia enim accidens ducit ortum ad illamque refertur ſemper.*

Qui Forte *pellitur. ideſt à* Fortuna.

At *noſtra,* Dice. *correctio eſt ad ea quæ ſuperiùs, nam comminatur propalàm dixit, nunc uerò aucupatur beniuolentiam.*

Nam uellicare. nota cùm morſu ſubdubitationem.

In Albo. *ideſt prætorio, partem pro toto.*

Num prima tela. metaphora pulchra in Reges & Iudices *qui primis aduerſarij uerbis patentiores præbent aures.*

Quid iure ſummo. i. rigidè. ſummũ enim ius ſumma iniuria.

V*os res creatæ. apoſtrophe artificioſa & pathetica.*

Adeſtedum. parelcon eſt dum.

Apud ſummum Iouem. *ne quæſo quia gentile ut ita dicam, ui detur uocabulum, chriſtianos quid moueat, ſed etymon reſpiciant, ſexcentiès id admonitos uelim lectores.*

Veſtis aut mutabitur. ex antiquo ritu reorum.

Condonarier. paragoge.

Fulſit illis gratia. illa inquam cœlitùs, ut Máriæ *uirgini matri, hominibus infuſa, quibus delinquere non permittitur, & qua uirtutes quæſitæ perficiantur. dè hac philoſophi antiqui diuino lumine carentes tacent aut perperàm ſentiunt.*

Leges ferantur. ex malis enim moribus leges optimæ, pèr quas quod propria culpa peccando amiſimus, parendo recuperemus.

Et læta pax ſæpè orta. pèr prolepſin eſt dictum.

Semperoptimiparens. una eſt dictio.

Quando in ſenatu. deprecatio eſt à poteſtate.

Inuictiſsime. conciliatio gratiæ pèr laudationem.

Te ápud. anaſtrophe.

Eſt cúm loqui. catholica ſententia. ſæpè ſilentio orationem eſſe utiliorem & cóntra. uerba ſunt prò nominibus.

Si Iupiter. Iuſtitiæ ſeu Dices Orationē operæpretium eſt cognoſcere, qua uehementia àd omnes Miſericordiæ ſeu Elei reſpondeat obiectiones ac partes, & ut firmis argumentationibus iiſdem interuallis firmiores opponat, eoq́; admirabilius quòd ordinē non ſeruando ſua tamen perſtans in partitione, certioribus ictibus ſpicula protelet. Sed propè pari número eſſe uerſiculorum, nulla præcedente cogitatione, non mebercule caret miraculo.

Fractisq́; uerbis. nam propriè Miſericordiam, Clementiam, pietatem remiſſa humilitas, cóntra, rigor & elatio animi, meram decet iuſtitiam Regisq́; maieſtatem, Vtraq, uerò in ægyptio ſceptro exprimitur, ubi ſummum ſceptrum Ciconia, imum Hippopotamus tenet.

Quæ pœna quod præmium. Legis enim hic finis, cuius proprium eſt inuenire ueritatem. qui uero legem non obſeruat legi eſt rebellis & ueritati ut mox diſſerit, obnoxius.

Bona uerba quæſo. pèr mycteriſmon.

Tute ipſe. Tautologia, & pèr parēthesin legēdus ē uerſiculus.

Viuis uidentibus. eiuſmodi natura coniuncta, quanquam diuerſa uidentur, elegantius pèr ſcheſin dicuntur. ut ſurſum,

deorſum. uelim, nolim. ſumma, ima. facta, infecta. ſacra, profana. publicum, priuatum. dictum, factum & ſexcenta milia, quæ per dialyton quidem robuſtiora, copula uerò fiunt debiliora.

Parandum bis funus. uehementia per excandeſcentiam & iracundiam.

Infletum, inſepultum, hoſtia canibus. uerſus eſt licentioſus nulla ſynalœphe. Horatius. *Naufragum, eiectum,* Virg. *Stant &* Iuniperi *& caſtaneæ hirſutæ. hoſtiam per* Acyrologiam *dixit, eſtq́; Synchyſis in intellectu.*

Aut deſecare. ſubintellige ſolum aut locum.

Securitas. i. incuria, Virg. *ſecurus amorum* Germanæ.

Aſcribit idq́; arbitrio. ergo & fato.

Infrenis iracundiæ. Ex *uoluptate enim & intemperantia naſcitur ſuperbia & iracundia.*

Vlmeas naſſas. metaphora à re doloſa.

Inuitus inquit atq; deceptus. ſupple peccaui.

Vis & uoluntas. exclamatio eſt pathetica pèr indignationem in Tyrannos *& affectus. doletq́; affectibus ſuperari uoluntatem, cuius deſiderium eſt pulchri propagatio & hic diuinus eſt Cupido, cúm ille alter ſit corruptus ac turpis, tantum in rebus uerſatus humanis, nam in cæteris animantibus & rebus, naturale eſt deſiderium.*

His uultus index. aut pèr figuram aut non ſinè myſterio utitur plurali numero, cúm redeat mox ad cœptum ſingularē.

Qui coniugi ſibiq́;. argumentum à ſimilibus & conſuetis.

At cuncta; linea. audere extrema linea eſt peccare extrema & in maieſtatem.

Ab extimis uidere eſt intima: intrinſeca àb extrinſecis ut uul

gus loquitur. ideſt uel in te ſæuiſſet.

Facto & exemplo. exemplum enim ſuperat ipſum ſcelus pre-ſertim in magnis uiris & R*egibus.*

P*arce, illud os . uultuoſe hæc ſunt repetenda.*

H*anc petit. pro repetit, ſimplex pro cõpoſito ex metonymia.*

Si parcis uni . P*rotogono ſcilicet & improbo ob prædicta.*

N*am turpia . aut de pomo cum uulgo uidetur ambigere, aut potius quod ex illo peccato orta ſint tot enormiſsima mala ac flagitia.*

S*usq; deq; . ſurſum & deorſum .* A*rchaiſmos.*

N*ec amplius reſtaret . nota dei artem eſſe infinitam quam nos homunciones tam breui termino circunſcribimus ac ſi dei omnia arcana pernoſceremus.*

I*actura rerum . remanente ſcilicet ac ſuperſtite ſpecie, quæ ad deum ueluti ad fontem altiſsimum referat ortum, nulla enim eſt mors ſed rerum tantùm immutatio.*

H*æc immenſa . immenſa quidem certe pœna puniri debet immenſum delictum.*

E*xtraq; cauſam.* A*reopagitarũ erat decretũ nequid extra cauſam oratores . ſecùs uero* R*omani &* C*ic. uſq; ad ſtomachũ.*

R*atione uerſa. i. contrarijs argumentationibus, &* I*ronia eſt aduerſus aſiaticas* O*ratorum ampullas.*

E*xordij occup . locum . rem dicit impoſsibilem.*

I*nterpres legum. utinam aliquando redigantur in ordinem.*

N*il eſt quod . ab omni enim parte, odio, inuidia, æmulatione, ſimultate ſe excuſat.*

E*xurge igitur . cum bonos omnis illud peccatum tangat atq; adeo ipſam* I*uſtitiam, excitatur ex uehementia animiq; calore, excitatq; iudicem ad ultionem & ad ſe ac ſuum officium*

tuendum, nã inane ſit nomen Iuſtitia legibus neglectis. Quàm rigidè ſimpliciterq; omni amoto fuco, id quod aliter fuerat factum àb Eleo peroret finiatq́; orationem, conſideret lector.

Qui mundi habemus domos. ideſt habitamus.

Iſſemus ad ſaga. metaphora à tumultu ubi Romæ trepidabatur.

Legisq; quis ſeruator. ideſt aliquis.

Niſi bis reſiſteres forti manu, eſt actum. nota elegantiam in temporibus. *Anquire capite. archaiſmos.*

Sed ueritatis. ſe ipſam dicit, Veritas enim pro iuſtitia ponitur elegantiſſimè.

Per equidem uelim. parentheſis ideſt péruelim.

Comperendinari. ampliari cauſam petierat Eleos.

O' Satrapæ. imitatio eſt Homerica quæ poetam deceat. Verba dei qua maieſtate ſint tu animi lance perpendito, Ideóq́ heroico utitur metro. faciunt idem græci prò decóro.

Mœnia habetis. ideſt habitatis.

Succeſſus. & indignantur Reges humani dè ſucceſſibus rerum ſuarum, ſi deus illis, cúm, dijs immortalibus tum hominibus creandis, caruerit. ſed quis dei illud conſilium nouit?

Emendaturus claſſes. Metaphora pulchra à mortaliũ ordinibus. uel àb exercitibus recenſitis cúm cohortes ſupplebãtur.

Honores medios. inter animos ſpiritusq́ ſupernos & infernos, nam arbitrium habet homo alterutris adhærendi.

Inuidioſa adeò. ideſt quæ uel ipſis dijs ne dum rebus, ſi ulla illos caperet inuidia, poſſint eſſe inuidioſa.

Pèr cruciatus, tormenta. ut Iuſtitiæ tam commotæ uideatur morem gerere ſuppliciorum mentione.

Vna atq; altera mors. Corporis & animi, altera quidem corpus diſſoluitur, altera uerò animus plectitur.

Amicitiæ & noſtræ. Ex *ſplendore dei òb* Idéas *primas ami-citia oritur cuius nomen eſt ſanctißimum, dè qua, perfecta inquam, uel ipſe deus tot & tam uehementia facit uerba, nem-pè qua extincta omnibus ſit rebus pereundum, & hæc eſt il-la quam* ὀαριστὺν *appellat* Homerus *intèr* Iouẽ & Minóa, ὄαρος *eſt illa* Venus *cœleſtis* Idearum *ductrix.*

Tempus e. c. *cuncta ret. i. emendabo mala quæ parentum culpa induxit, & peccati originalis detrimenta aliaq́ꝫ mille incommoda* Naturæ *oborta.*

Me Tellus. *ideſt imaginem meam qui eſt filius, pèr quam artis ideſt* Sancti *ſpiritus uirtutem, deum patrem refert.*

Idem ego qui *ſum.* Hic *uerſiculus quam longißima eget in-terpretatione quippè qui omnes contineat artes ne dum ma-thematicas quibus eſt admirabilis òb numeros omnium pèr ſe particularum in ipſo contentarum, & deinde ſimul coniun-ctarum. decem conſtat particulis ferè ijſdem, quippè quæ prin-cipium deceant & finem, uitam & mortem. duabus conſtat periodis, membris intèr ſe conuenientibus, ſed hactenus, nam melius eſt tacere quàm paucis efferre uerbis explicanda mul-tis & copioſis.*

Si quis eſt. *metrum eſt trochaicum, ſed uariat metra ut de-cet choros, atq́, in hoc ultimo præcipuè in quem multa me-trorum genera coegit. paucis tamen conſultò contentus in me-dia* Tragædia *ut aſperitas uitaretur.* Conatur *chorus prò ui-ribus ea exponere myſteria quæ in ſuperioribus* Orationibus & dei Oratione *maximè cõtinentur, ſed illa palàm refert tan-tum quæ ſcire poterat, quæq́ꝫ dè incarnatione & incredibili aduentu erant dicta,* Quæ *uerò dè morte* Chriſti *fereban-tur aut uidetur ignorare aut myſteria cùm paucis eſſe commu-*

nicanda,

nicanda, admonêre. quàm ob rem ſphingas Aegyptij templis ap pingebant dubietatis ænigmatisq; ſymbolū. Hic *Chorus poteſt eſſe & Nympharū & Angelorū qui ex ultimo ſint ordine.*
Sed dominantur in omn. dactylicum quinarium eſt metrum.
Vt flumen. pulchra uitæ comparatio aduerſus hominum dè uitæ breuitate, querelam.
E lite dubia. ex diſcordia enim & concordia fit generatio.
Extrà iubar. pèr periphraſin dei ſolium.
Rex Iupiter. Iouis filij nomen item excelſiſsimum eſſe apertiſsimè declarat.
Pan tecta. mirum architecti myſteriū undè muſica mundi nobiliſsima & rerū omniū ortus ac creatio pèr ſuas uiciſsitudines.
A quo profectum. triplex temporis differentia quæ eſt in hominibus, in deo proportio eſt æqualiſsima.
Idē potēs pollensq;. Iambus eſt ſeptenarius ſexto pede cōmuni.
Cui hoſtiæ. i. Chriſto cui alia ſacrificia gētiū conceſſerūt locū.
Quod eſt non usq;. unum nanq;. i. deus ex termino conſtat & infinito alpha & ω.
Numerus & morti ſacer. Verſibus enim trigintatribus, Dei clauditur Oratio, hac quidē ratione. Numerus ternarius humilē refert humanitatē qui primus eſt perfectus. At numerus denarius perfectiſsimus, ipſam altiſsimā refert diuinitatē, perq; omnes excurrēs numeros qui intrà ſeipſum ſunt, in ſe ipſum redit motu circulari, ter uerò replicatus triū diuinarū omnipotentiū perſonarū refert trinitatē. Hi demū intèr ſe coniūcti Chriſti uitā admirabilē ſignificāt. i. cū humanitate cōiunctam diuinitatē, atq; ideò mortis dicitur numerus ac ſymbolū quoniam humanitas diuinitasq; non diù ſinè ſeparatione poterat

conſiſtere. ſi quid uerò ætatis, ſupra trigeſimũtertium annum Chriſto attribuitur, illud ad unitatem ſemper refertur, quæ ipſum deum abſolutè æternitatem infinitatemq́ ſignificat. Multum inter. q.u.p.n.a.f.p. ideſt ſeruús ne an paterfamilias. Ergo niſi obuiàm ibitur. argumentum à maiori, nam ſi ſe Deus expoſuit morti, quid faciet alijs? Τέλοσ

e T quoniam nunquam Zoili deſunt eſſe infeſti ut, in Apologia & in Prologo quẽ ideo introduxit, ipſe queritur poeta, fuêre qui quandò alia taxare nequiuêre, prolixitatem taxarent, quibus in Prologo utiq; reſpondet, multa demi in actione poſſe abſq; iactura graui. Id cúm aliquando ab eo ſciſcitarer, ſic Anyſius reſpõdit. In primo inquit Actu, finem in actione & multa alia demi poſſe, finiriq́ illum actum illo uerſiculo. Vos ſpiculis letalibus. In ſecundo actu multo plures uerſiculos poſſe ſupprimi, quippè quibus illa ſimulacra deſcribuntur, integra ergo ſimulacra, illa uidelicet longiora ut eximãtur quis prohibet? Ex tertio Actu, quia eſt cõpreßior, item ex Quinto, ſalua modò demas dignitate, etiã potes tollere. ſed de Quarto Actu ex illa Protogoni nænia uel plus centum potes excipere uerſiculos, atq; hoc modo facere Tragœdiam, ut græcos taceam, quàm apud Senecã ſit Hercules Oetæus, breuiorem. Sic puto feciſſe Ciceronem in illis longis actionibus & orationibus, ut aliter ſcriptæ aliter actæ ſint, nam tempus ex clepſydra non fuiſſet ſatis recitando. Comœdiæ, q̃uis uideantur breuiores ſi uerſiculorum pedes ferè duplos perputabis, multò tibi uidebuntur longiores. Viſum eſt Anyſij ſententiam his commentarijs inſerere. Iterum Vale.

Anus Anyſius Andr. Matthæo Palmerio Cardinali S.D. In hiſce rerum primordijs antiquiſsimis, quæ præ caligine haudquaq̃ mens proſpectãdo aſſequatur, ſi dubius hæſitarim aut errans uacillarim, nõ id profectò debet uſquequaq; mihi dari uitio aut cuiquam uideri permirum. Ego ſuprà uires auſus, ducente neſcio quo Genio atq; immortalia dona pollicente, immenſam, ingenuè fateor, ſyluã ſum ingreſſus, inacceſſam, paludoſam & denſis undiq; uepretis frutetiſq; intertextam, qua, profundas fideli conto prætentans uoragines uix firmũ inueniens ſolum quo ueſtigia ſiſterem, longo tandẽ labore, ac periculo inenarrabili hac illac oberrans lubrica, pedemq; fallentia nonnulla inueni uada, ſed quæ, per ardua ac prærupta eos oſtenderent calles, quibus àd aliquam metam æquioremq; locum peruadendi parum admodùm affulgeat ſpei, innumeros inquam calles, qui me modò huc modò illuc diuerſum abducerent. Fuiſſet mehercule operæpretiũ aliquot ſaltem indicijs & ueluti digitulo illos demonſtrare, fortaſſè ingenijs ſublimioribus uiam aperirem àd aliquem amœnum locum inueniendum, inuentumq; colendũ. Sed me, cùm labor deterruit, tùm gloria non par fortaſſè labori, neq; hic locus id póſcere uidebatur. Hæc mea ergò audacia prorſùs uituperanda néene ſit, mitto alijs diiudicandũ. Verũenimuero ſi àd emolumentum quod indè facile poteſt prouenire, ſpectabitur, aut nihil fortaſſè, aut admodùm parum ſit, quod meritò poſsit accuſari. Qui uiam àd Antichthonas nouumq; Orbẽ primus tentauit, inſanus ille quidem habitus eſt, nunc uerò ita illam noſtris claſsibus aperuit, ut magnis ſit commoditatibus ac diuitijs, Is Colũbus fuit noſtro tempore uir ligur quẽ ipſe noui ſumq; allocutus. Et niſi cœpiſſent homines audêre, lyntribus fluuios

transſmittendo, nauibus deinde tantum æquoris ſuperando, eſſent'ne tot commeatus, tot ultro citroq; mercaturæ & commercia gentium exterarum? audendum certe eſt mortalibus & non ad ignem otioſis ſedendum, hinc tot artes & inuenta rerum. Sed ſatis ut potui defendi audaciam ne dicam inſaniam meam. Ecce audentem non omnino Fortuna deſtituit, nec parens noſtra Parthenope Phœbo nympha nõ inuiſa, prorſus cœpta improbauit, ſed quando te habet ſummo loco, quippe qui eo ingenio ſis, propiusq; uideas Paulum Pont. Max. doctrinarum & ſacrorum antiſtitem, heus Anyſi, inquit, ad Andream Matthæum Palmerium meo tuoq; nomine has mitte lucubrationes, ut ſi quid a decoro ſit aberratum, per illum redeas in rectam, & omnibus numeris ut aiunt, abſolutum probetur opus, famæq; præclaræ adeo cõmendetur. Hæc Nympha, quando nos, ſuos amat ciues, gloriæq; conſulit communi. Quid ſi Protogono detur tecum loquendi copia, non'ne putas eadem eſſe dicturum, teq; per omnia ſupplicia ac preces rogaturum atq; obſecraturum? certe. Deq; audaci incepto hactenus. In quo aut propter nimiam audaciam, quæ ſolet eſſe moleſta, aut quia iam ſatis cognitum eſt, nihil mihi contingere gratius, quàm uel nodos in meis ſcirpis quæri, ut liceat uiuo emendare, non defuêre, quibus nonnulla non probarentur, liberiusq; carperentur. Sed miſſa faciam quæ uiſa leuicula ſunt, aut ſpuma Cerberea leuiter tacta, aut uiperarum ueneno fruſtrà attentata, nam pernicioſæ iſtæ peſtes terræq; carcini parum Herculi officiunt armato, quæ fuêre grauia attingo libenter, imo hac Epiſtola præter morem meum, ampulloſiore, ut quæ Apologiam contineret, hæc tractio pluribus fortaſſe uerbis quàm opus eſſet, Nam quid per Iouem

Deum immortalem grauius, quàm in religionem peccare? Iſti demum, Iouis nomen prorſus delendum deq; medio tollendum putabant, ut nimis antiquum & ad noſtram minus pertinens religionem, nempè Iouis humani, tyranni, Saturni filij. Vera atq; æqua profectò eſſet ſententia, ſi ipſe ea uia incederem, relictáq; norma Chriſti, illam antiquam enormem ſectarer, ſed non eſt ita. Vocem equidem diuinis communem & humanis ad communem effectum retineo tantùm, ſenſum uerò ad unũ Deum refero ſempiternum. De ſenſu enim multò magis quàm de uerbis quæ ſenſui deſeruiunt laborandum eſt. Iupiter ergo, omiſsis cauillationibus, quid, niſi adiutorem exprimit patrem? quorum nominum plenæ ſunt Chriſtianorum preces, Nam, quis quæſo chriſtianus in omnibus ſacris ædibus non quotidiè Pater noſter, & domine adiutor meus, canit? At ſic dicendo de Ioue ne Saturni intelligit? nullo pacto, ſed de Ioue Dei altiſsimi filio qui cauſa eſt cauſarũ. De quo mille antiquorum ſunt receptiſsima teſtimonia. Iupiter eſt, inquit Orpheus, quodcunq; uides, quocunq; moueris. & Ennius, Aſpice hoc ſublime candens quẽ inuocat omnis Iouẽ, at quém Iouem? nutu omnia regentem, patrem & hominũ & deorum. De his præterea rebus & perſonis, nobis eſt ſermo quæ longè antè eſſent humanum Iouem ac Saturnum. Quin Ioues regum filios ut Hercules uiros fortiſsimos antiquitas appellabat. Ergo ſi deum πατέρα καὶ σωτῆρα, Iouem eundem meo periculo non formidabimus appellâre. Quem ſi tollas, ut Mundus repentè pulcherrimus, ita noſtra Tragœdia ubiq; reſperſa fulta & inniſa Ioue, córruet uniuerſa, oleumq; nos & operam tot menſes perdiderimus. Atquì uel cæci, ſi perlegent, conſulent boni, atq; Iouem & Deum adiutorem, &

ſummum bonum eſſe idem ut milliès à me eſt dictum, & in Satyris & Poematis eſt uidêre, ita eſſe facilè intelligent. Eiuſmodi profectò appellationes, Pater, Parēs, Genitor, Arbiter, Princeps, Rector, Rex, Dominus, Paſtor, Sacerdos, Magiſter, Seruator, Adiutor, Architectus, Optimus, Maximus, & ſexcentæ aliæ tam Deo communes ſunt, quàm hominibus, & συνωνυμα elegantiſsima, Quæ nos homines, cúm Dei propria ſint, tantumnon uſurpamus & noſtra utiq; facimus ut imitatores Deiq; filij & ſimulacra òb animum abſolutiſsima. Non'ne & antiquiſsimi illi ſapientes Græci & Romani quanq́ quadraginta milia aut plus eo fecerunt eſſe Deorum, Vnum tamen eſſe Deum fatentur, ad quem omnes illi referantur? & demùm innumeros illos, numina atq; dei eſſe uirtutes & Poteſtates ſinè ulla controuerſia conſentiūt, quemadmodùm Bonitas, Ratio, Veritas, Prudentia, Fortitudo, Aequitas, Fatum, Neceſsitas ut Mercurios, Hercules alioſq; eiuſmodi conſultò omittam, Dei cognomina apud omniū ſunt ôra. At quis' prohibet & mulierculas homines eodem nomine uocitare? Quam equidem ſententiam uel ipſa ueritate ueriorem exiſtimo. Nihil profectò obſtat neq; adeò ulla ſit deo iniuria quocunq; illum nomine, concinno tamē & eleganti, appellemus, modò illum intelligamus rerū omniū autorē ac Principem. Si quis impediet dicamq; inſcripſerit, importunus is homo ſit mediusfidius & qui uirus funeſtū & peſtem ſùb prætextu abſcondat religionis ineuitabilem. Quanta cùm cura diuinæ Trinitatis qua noſtra præcipuè nititur ſtatq́ religio, perſonas, diſtinguendo ſuiſq; uocabulis ornãdo, uariauerim in Tragœdia, qui illam accuratè leget, neq; erit iniquus iudex facilè iudicabit, mihiq; dabit laudi, quod iſti dant uitio, Baſi

liſci ueneno ſiſsimi obſeruato inquam, perſonarum decóro, cúm patrem propriè Deum ſummumq́; bonum. Filium, Iouem Sapientiamq́;. Spiritum, Amorem Ignemq́; & id genus ſanctiſsimis nominibus nuncuparim. Iouis deniq;, ex patris mente, Amore internuntio tota rerum ex nihilo eſt origo & creatio, Id quod Pithò improba inficiando perperàm conatur negare. Taceo dè tot myſterijs uniuerſæ philoſophiæ diuinæ & humanæ, quæ alijs relinquo exiſtimanda. Romani tandem òb ſapientiæ abundantiam Imperijq́; diuturnitatem, linguam tantoperè excoluêre, Si ergò romanè diſertéq; loqui uolumus, nc latum quidem unguem àb illorũ ſermone diſcedemus, cùm illis loquamur, cùm noſtris ſentiamus, aut ſi fortè prohibeimur, prorſùs abſtineamus, in carmine preſertim, quod ſi illiſce nõ litum eſt luminibus ac neſcio quibus linguæ illécebris atq; lenocinijs, Olympum prò cælo. Phœbum, Phœben, prò Sôle & Luna. Vulcanum, Veſtam, prò igne. Martem, prò bello. Neptunum, prò mari. Achelóum, prò aqua. Cererem, Liberum, prò fruge, uino. & deniq; mille alia trãsferẽdo aut immutando, continuò horridulum diſplicet atq; ceù in luctu ſedet & ſquallore. Non faciunt mea ſentẽtia bellè iſti qui ſtatim ne ſuperato quidẽ limine, de domus audent adytis lociſq́; ædium ſecretioribus iudicare. Eandem ex aduerſo de Plutone inferno, Orco, Cerbero, Erinnybus, Cocyto, Styge, alijſq́; receptis trãſlatiõibus, ſi dijs placet, ſententiã ferent cũctaſq́; pellent, ex Helicone pulchras gratias ac doctas Camœnas, ſùb quibus cõdimentis floſculiſq́;, admirabilis ac nunq̃ ſatis laudata latitat philoſophia rerumq́; parẽs Natura. Miſelli Poetæ tanta cùm cura noctes diebus iungentes pulſiſq́; cæteris uoluptatibus pallentes ſua cudunt ut ludibrio & capturæ, ut ita di

cam, fœdis ſint ſannionibus. Verùm *Philemones ſuæ urbis mœnia uix excedunt,* Menandros *Orbis terrarum excipit benigniſsimè. & ſi liberiùs loquendi daretur poteſtas, auſim equidem dicere, non eiuſmodi deberi minùs poetis chriſtianis, quàm uiris ſanctiſsimis qui grauiſsimos dè* Religione *ediderunt aut edunt commẽtarios.* Illi *quidem, quemadmodùm theriaco aduerſùs uenena phármaco, uiperæ uirus, quo duce ad cor ualentiſsima illa præſidia ac comites, ueluti àd arcem, celeriùs ferantur, admiſcetur, qui confeſtim extincto hoſte arcem teneant atq; unanimi conſenſu communiant atq; tueantur, ità dulcedine linguæ, lepórum ſalibus &* Heliconis *latice beatiſſimo comitibus, àd eos uiros peruadunt qui alioquì* Religionis *eſſent contemptores, at eo mox liquore allecti hauriunt poſtea quem multò intelligãt eſſe ſuauiorem atq; ſalubriorem.* At *neq; grauiſsimi ſanctiſsimiq; uiri non illos ſuo honore dignantur, ut dè* Hieronymo, Auguſtino, Baſilio, Euſebio *alijsq; noſtri & illius ſeculi præclariſsimis eſt uidere.* Hi *uerò ſuis tantùm dè religione ac* Deò *optimè ſentientibus & ambigentibus nihil, & qui, quis* Herculem *uituperat? iûre poſsint optimo reſpondêre, ſinè melle abſynthia propinantes, ſàt ducunt placêre & eſſe animæ pretioſiſsimæ ſaluti.* Alteri, *conclamatis pergunt ire ſuppetias,* Alteri, *doctos docent & currentibus addunt calcaria ſalutaria.* Dè *fine demum* Tragœdiæ *à grammaticis, ut lêge ſanctiſsima perſcripta, nihil habeo dicere, qui græcos autores légerit quorum propria eſt* Tragœdia *non ſempèr claudi morte illam perq; mortem & luctus incédere, facilè perſpiciet.* Verum Tragœdiæ *ſubiectum eſt* Regum *res &* Heróum, *calamitates, erumnas, fata deniq; & mortes ſublimi ac uehementi oratione deſcribere, quódq; hu-*

mile eſt

mile eſt & abiectum prorſùs deuitare. Quanta cùm grauitate perſcripta ſit noſtra Tragœdia *uel ipſe iudicet* Euripides *qui* ἀγέλαστος *ob ſeueritatem eſt appellatus, atq; haud ſcio an eam conſtantiã grauitatis & decóri quod non reſpuat cothurnus ipſaq; natûra, in græcis ſit inuenire qui in* Tragœdia *mirandum in modum claruêre.* Sed *deſino tandem, ne dè perſpicuis rebus diutiùs diſſerẽdo, ea faciam,* Pyrrhoniorũ *môre, dubia, quæ certa ſunt atq; tot ſeculis recepta uiriſq; ſanctis nõ improbata.* Déq; *licentia poetarum uel uſq; ad affectationem ſit dictum ſatis.* Valeant *deriſores pædotribæ nouis rebus ſtudentes uentoſi* Sophiſtæ, *& qui ita intelligendo intelligunt nihil.* Te, Chriſte, Iupiter, *dieſpiter,* Deus *optime maxime quæſo, precor, ueneror ut nihil mihi unquam* φύγη ἔρκος ὀδόντων *quod non ſit pulchrum, pium, religioſum.* Quod *ſi ſecùs eueniat, lingua certè non animus peccarit, teſtis ipſe es* Deus *cui mentis arcana ſunt manifeſta.* Igitur *te,* Andrea Matthæe *oro & obſecro, ut accuratè legendo, amicis doctis, quorum* Roma *ſemper fuit altrix, legendi prouinciam delegando, & à* Paulo Pont. Max. *idem, ſi ſit otium, impetrando, omnibus tandem plicis* Tragœdia *excutiatur, ne quid lateat quod poßit diſplicêre.* Id *quod ſi liberè facient, non inſumpti laboris fortaſſè pœnitebit, méq; animabunt deindè àd alia ſcribenda, à te autem nihil non expecto.* Vale.

Ianus Anyſius Bernar. Martyrano S. D.

Q Vicquid uitæ mihi prorogatur, id impendo Camœnis atq; edo paßim iiſdem formis, ita putans morti facere fucum. Tu, qui me ab ineunte ætate ut patrem, quo me nomine ſemper appellas, obſeruaſti, coluiſti ac ſanctißimo es amore proſecutus, cupis uel antè omnes me eſſe clarum atq; memorabilē, foréq; ferè tibi perſuades, ſi dè tanto poematū aceruo ea deligerem quæ eſſent quamelegātiſsima, non enī copia ſed uirtus poteſt pollétq;. Ego, quinquaginta fermè annos in hoc me ludo continui ut non eſſet ſinè linea dies, quam ob rem non debet uideri mirum ſi multa conſcripſi. præterea tot ornaui amicos, quos ſuo nomine defraudare mihi piaculum ſit. Tu Martyrane ſuauißime tu hunc poſtea facies delectum, faſciculumq́; ſicut ex floribus lectiſsimis trades delicatis lectoribus geſtandum noctésq; & dies naribus admouendum. Ipſe eo odore uel uſq; àb illis campis beatorum delectatus, induſtriam fortaſsè non improbabo. Quando meum ingenium ac iudicium pernoſti, & qui Satyrus quiq́; Cupido ſit probè tenes, tibi ergò hunc laborem delégo. Dè editionis impenſa non auſim quicquam dicere, ſatis enim uirtute tua maiorumq́; tuorum diues es, meáq; cauſa uitam ne dum opes te libenter profuſurum ſæpè prædicaſti. Dè gratia tātùm diſcam, habebitur quidem certè ab omnibus immortalis. Vale.

Ianus Anyſius Fabr. Ieſualdo S. D.

SI quis eſt qui parùm iuſtè dè morte queri poßit, tu certè is es Fabriti Ieſualde, at qua id ratione, abſoluam paucis, atq; ut ueritas clariùs eluceſcat, ab argumentationibus incipiam contrarijs. Non aliam eſſe homi nibus animam atq; cæteris animantibus, erant qui conijcerent, forma aiebant, differre tantùm, qua ſue canis, cane leo, leone homo eſſet præſtantior, eámq; cùm corpore unà interire peruerſißima ſententia ſtatuebant. Alij non prorſùs occidere ſed in ſua pricipia reuerti arbitrabātur, at quæ pricipia? quæ & ipſa fortè aliquando eſſent interitura. Qui ad deum, & illam & res ex nihilo creatas referret, erat nemo. peruerſa in genia, peruerſißima iudicia. Nos uerò multò aliter. ſed eſto, iſtorum ut impia, ita uera ſit ſententia, quid nam pulchrius ſi prorſùs intereūndum eſt, quàm ita frui hac luce ut ab ea tandē cùm laude ac dignitate diſcedatur? parùm certè dolendum eſt quod parens fecerit natura par & æquale omnibus. At ſi noſtra uerior eſt ſententia, redire animam ad deum proq; benefactis multò redire nobiliorem, nitereq; illa benefacta eſſeq; lætitiæ & gaudio nō minùs mortuis quàm aura ueſcentibus, quid, pèr deū immortalem felicius ꝙ æternis frui bonis ut tu facis, uirtutisq; latißima imperia omni uitio propulſato propagare tradereq; perpetuis monumentis, quæ poſteri imitentur ac ſtudio dulcißimo proſequantur? Non aliter ac beatorū horti quibus herbæ euelluntur infelices & plantæ inſeruntur nobilißimæ uita quidem certè excolenda eſt. Hæc qui facit, iſtas ſecurus prætéruolat anguſtias & ad uitam lætus aſpirat ſempiternam. Vale.

Ianus Anyſius Fabritio Ieſualdo S. D.

SI unquam aliâs ſcriptorũ editio fuit periculoſa, nunc profectò bis plumbeis formulis adinuentis eſt periculoſiſſima, per enim quam difficilis emiſſæ uoci eſt reditus, mille atq; amplius, opera tumultuaria atq; errore inobſeruabili pariter impreſſis libellis. At nullus olim patribus noſtris nõ erat emendandi locus, multáq; litura laudi ducebatur, at illa fulgebant tẽpora, quibus prouentus largáq; eſſet doctrinarum omniumq́ꝫ rerum bonarũ annona. Nobis neq; ea nitent ingenia, neq; ea uigẽt ſtudia, neq; ea eſt induſtria, neq; ij adſunt moderatores, admonitores, adiutores, ueri conſultores, fidiq́ꝫ amici & à manu ſerui. His tot ac tantis commodis priuati peregrina lingua ſcribimus, eáq; preſertim ſcribimus quæ nitore maximè conſtent & elegantia, ut res mira ſit non longiſſimo abeſſe interuallo àb illis ſeculis cultiſſimis. at ſi quando proximè accedimus, quæ inuidia aut potiùs iniquitas ſit, nõ magna nos laude donari? atq; haud ſcio an maiori quàm illi clariſſimi uiri donabantur. nã quæ laus eſt pèr deos immortales trãquillo mari, cõmodo nauigio robuſtis ac peritis nautis in littore nauigare? ſed eſt mediusfidius præclara, uehemẽtes pèr procellas, ſemifracta naui, non admodum multis nautis, ijsq́; indoctis, ex alto in portum peruenire. Quid ergo faciendum? clauum clauo ut eſt in prouèrbio, trudemus, atq; id eò libentius quod tibi magnopere Fabr. Ieſualde placere uidetur, nempè quæ paſſim occurrant in noſtris impreſſis poematis aut emendanda aut illuſtranda, ſij lẽ ut typis emendẽtur atq; illuſtrẽtur, hacq́ꝫ quaſi talione multentur. ſic ſumus, polliciti facere, neq; unquam pæ

nitebit. Valeant beati iſti pulchelli & delicati qui tempore ſapientiſſimo (dijs non probantibus) uolunt eſſe ſapientiores, ueruntamen ab ipſo eodem tempore meritis accipiũtur pœnis, nã Lethe *paulatim atq; obliuioni cúmq; opera & uigilijs prorſus traduntur, ut eadem iſtis & mors & uita cenſenda ſit. Circunſpecti cóntra & quibus omnis floculus eſt prò trabe, qui cura iugi atq; perenni ſua cudunt, ruminant, caſtigant & premunt, cùm ipſo tempore ſolent caneſcere atq; in dies magis magisq́; probari. Dè nobis deniq; ut dicã, multa ut eſt uidere, ſcripſimus, & quis tandem eſt qui multa poſſit ac bene dicere? Tum in illis procellis, infidis ſocijs atq; gubernatoribus neſcio quo fato noſtra emiſimus, & ſæpè ita mente attoniti animóq; fortuna omnibus iaculis impugnãte, cõſternati, ut facile in ipſo Sôle caligaremus, ſed illæ nebulæ tamen non prorſùs ut obſcurent nitorem & oculorum præſtringant aciem peracutam, modò is Cenſor lector'ue ſit quem non omnis minutia aut leuis aut aliena culpa dè gradu pellat, non liuor aut inſcitia importuna tranſuerſum agat. Quam ob rem ea uiſum eſt rurſùs denuò adnotare quæ poſt non contemnenda occurrerunt, cúm nunq̃ ſim ab hoc officio & labore ut ſæpiùs ſum pollicitus quoad uixero ceſſaturus. Non tamen tacebo dè genio meo non me parum poſſe gloriari, ſæpè ultrò ille nõ ſinè mea magna admiratione ac ſtupore, in tanto rerũ aceruo, quas ſcripſimus, alicuius labeculæ admonuit, quã iampridẽ admiſiſſemus cæcutienteśq; præterijſſemus nulla quidem mea cura, meditatione, lectione, præcedẽte, aut quod pèr me ſperaſſem conſiderare animaduerteremq́, ut diuinitùs poſſit uideri factum mihiq́; ſpem fieri, haud ita multum ſupereſſe uitij quod grauius argueret pec*

catum ruinamq́; minaretur. Quorſum hæc? an ut petã ita dè meis ſcriptis quemadmodum dè Homeri *uerſibus ab aliquo* Ariſtarcho *eſſe iudicandũ? ſed redeo. de nobis uiderint docti.* Nonnulla *tãdem philoſophi, multa, grãmatici fungens officio per epiſtolam cõmentabor accurata fortaſſè lectione non indigna, ſit modò fas hæc tanta pandere myſteria.* Ego *poetis non perperàm inditum eſſe diuinũ nomen exiſtimo,* Dei *.n. propriũ eſt facere, cuius rei quandò participes fecit homines, quid eſt quod admiremur cúm aliquid illi audet ſuprà hominẽ ſupráq; grammaticam quæ in rebus tantùm uerſatur humanis repitq; humilis neq; ſe altiùs attollit impluuio.* Non *ergò bellè faciũt grãmatici qui alienã in meſſem ſuã audent acuere falcem & in his preſertim rebus quæ non labore & uigilijs comparantur, ſed è cœlo animis ſeſe inſinuantes, proficiſcuntur, ueluti cũ dè numeris arteq; muſica nihil dè trita ſemita diſcedentes, diſputant. mihi tantùm uiſum eſt locũ demõſtraſſe, nam illas linquo uanitates* Ochegis, Maronibus, Homeris *deridendas, dè cunctis enim diſſerere neq; ẽ animus neq; epiſtola pateretur.* Hæc *ſumma eſt, non pauca dari uitio à grãmaticis quæ ſummæ ſunt laudis ac maximæ uirtutis.* Diſcedunt *dè uia diuini* Muſici *&* Poetæ *atq; ut peritiſsimi funambuli tunc magis conſiſtunt cúm imperitæ multitudini uulgóq; inſipientiſsimo magis cadere uidentur, idq; ſtudio faciunt libentes ac uolentes, eoq; cùm decóro, ut paucis admodum qui illud agnoſcunt res adeò diuina cenſeatur.* Figuras *grammatici appellant & rectè quidem, ſed quas uôce nôrint tantùm cúm alioqui hallucinentur & ueluti in tenebris à re aberrent quam diligenter ueſtigant.* Quid, *non in cantu eſt auſus* Ochegus? *quod* Cælitum *cho-*

ris linquo diiudicandū. Quid non Virgilius? Quid non Homerus? alijq; huius ordinis præclariſsimi? quó artificio nunc cadunt, nunc reſurgunt, nunc exucti exárent, nunc tumidi abundant, eaq; imitatione ut ab eodē fonte hauſiſſe uideantur? Ferreiq; Eumenidum thalami noſter quidem Homerus, græcus autem Χάλκεοι μὲν γὰρ τοῖχοι. hácq; ratione, ſi modò locus non reſpuat, quid obſtat, ſpectaculo, cœnaculo, lamina, crapula, dicas? an harmoniæ iuſſu, ſpectaclo, cœnaclo, lamna, crapla? Talia non recipere ſcanſionem metra grammatici dicunt. ridiculum. qui græcos legit Camœnarum ſtudioſus, hæc paſsim offendit quæ animum teneant paſcantq; admirabili delectatione. Sed ſum prolixior opinione, ſexcentiès quidē certè ſexcenta milia ſunt quæ oporteret in medium afferre, ſi omnes uellem cúm figuras tum hæc orationis lumina colligere. Quid quæſo Valerio Catullo uenit in mentem cúm acinam fœminino genere protulit? Deus'ne aliquis qui præeſt Poetis, ſūmonet? an quæ Siren huiuſmodi delicias ſubminiſtrat? an ipſamet ratio, uulgo ſæpè & ſæpè externis uocibus non neglectis, perſuadet? Aëre fulua, rectos cupreſſos, Ennius. κέρα βατεῖαν Homerus. purpureā Narciſſum, Virgilius. hos lodices, collos, gladiolam, Pollio, Gallus, Meſſâla uiri doctiſsimi, amœnioris uocis ſuauioriſq; ut puto, ſoni illecebra delectati, dixerunt. Dè nominum ergò genere non ſecùs atq; dè undoſiſsimo Oceano in quo & ingentia nauigia & peritiſsimi Palinuri & fluctuant & perſæpè mergūtur, prætermiſsis alijs orationis partibus liceat dicere nō intempeſtiua. Tribus ueluti ducibus nomē maximè innititur, Proportione, Significatione & Terminatione, quorum ſæpè fretum auſpi

ciis uariatur ambiguumq́ꝫ ſit, ut aliud græcis ſit, Latinis aliud. ſicut œſtrum, orichalcum, uinum, æuum, margarita, lachryma, ſinapis, amphora, calix, cera, cetus, lotus, ceraſus, epops, ſardonyx, lynter, lychni, erebus & multa alia. qui græce ſcit facile generis animaduertet uarietatem. In Eunuchum ſuam Terentius, finitus Oreſtes, Iuuenalis dixit. ſic nomina uirtutum, affectionumq́ꝫ latinis fœminina plerunq; ſunt, græcis uero aliter. quæ, laus eſt nobis, illis αἶνος eſt. hac potiſſimum ratione hydrops altero ſexu a Coſmo noſtro Anyſio pronuntiatur, quanuis nos boni conſulentes & ne ſolœciſmus uideretur, correximus. eâdem Terminatiōe ſcobs, ſcrobs, & quædam alia dubio ſunt genere. ſpinus, lupus, exe-cti ut Eunuchi ſexum mentiuntur. Mytilenæi lesbi eſt apud Ouidium. tota eſt humilis Oeta apud Lucanũ. Oſtriferi Abydi apud Virgilium. ſic Præneſte, Saguntum, Anxur, Salernum & alia innumera ancipiti genere apud receptiſſimos autores eſt inuenire. pumex, lapis, ſilex, talio, barbitos, dies, finis, cinis, funis, acus etiam uulgo, genere ſunt ambiguo. Quin etiã multa offendes quæ neſcias qua in claſſe loces, cùm quibus'ue ſentias grammaticis uiriſq; doctis, cúm perſæpe pertinaciter inter ſe diſſideant atq; acriter digladientur, & grammatica, obſeruatio ſit quæ uſu potiſſimum conſtet & autoritate nitatur. Sed hactenus, ne prorſus locupletem Priſciani peram uideamur compilaſſe. Vale.

Ad Lectorem.

Sl ea corrigendo quæ plumbarij Impreſſores concul/carunt eaq́ retractando quæ catellis calumniatoribusq; anſam præbuiſſent ad mordendum, & deniq; ea reponendo quæ uiſa eſſent meliora, nulli impenſæ & operæ pepercimus, tun' lector tam paruo parces labori? Leues tamen labes & quas liuor tantùm uitij arguat, quoniam in impreßis exemplis quæ tu eadem quæſo opera conſulito, partim ſunt recognitæ, partim à mediocriter docto facilè recognoſcentur, omiſimus ex conſilij ſententia. Nota, primum numerum eſſe chartarum, ſecundum eſſe uerſiculorum. a, ſignificare frontem, b uerò folij tergus. Vale.

Errata ex Regula, reponenda.

Epitaphium pèr t exile ſcribendum.
Eurydice pèr y.
Hymenæum cùm diphthongo.
Hornum cùm aſpiratione.
Crathin cùm t aſpirato.
Letum, letale, cera, ceruleum, ceſton ſinè diphthongo.
Libens uolens. ultrò citrò. purum putum,
Pudet piget, ordinandum eſt.

In characteribus græcis pepercerint lectores, nam uix illorũ copia fuit quibus uoces exprimeremus ne dum graphicè ſignaremus.

In Iani Anyſij Varijs poematis hæc nuperrimè ſe obtulerunt emendanda.

2.	17.	b.	Neapolis beata Pieris.
11.	15.	b.	Regia cœlic. largè & lux red. pont. eſt.

28.	1.	a.	Hiericho.
34.	20.	b.	*uox ubi.*
39.	20.	b.	*Hinnuli utì ludunt.*
42.	6.	b.	*hinnuli.*
47.	4.	b.	Coniugijs.
52.	18.	b.	*libens uolensq;.*
53.	3.	a.	*elegantiusq;.*
54.	11.	b.	Mæonio.
55.	15.	a.	*libens uolensq;.*
56.	21.	a.	Candace.
60.	6.	b.	*& Auſter ater ponit.*
71.	2.	a.	*primigeniusq;.*
73.	8.	b.	R*uctaſſe ſcopulos inflãmatasq; fauillas.*
77.	2.	a.	*Sex hodiè texo, tremuló cràs lacte co-*
78.	18.	a.	*uno mihi plurima folle.* (*rono.*
79.	5.	a.	Hilermis
80.	5.	a.	*dè morte* Hilermi.
83.	27.	b.	Amycum.
88.	8.	b.	Biſſeno.
88.	17.	b.	Aeetæ.
90.	1.	a.	*prior lectio non diſplicet.*
92.	18.	a.	*Tu, me conſulto, triſtior ibis anus.*
96.	21.	a.	*multò pernicioſior.*
98.	23.	b.	*decimum* Decembrem.
99.	1.	a.	*& ſceptrum aureum & omnia aræ*
102.	6.	b.	*ſublimi è uertice.* (Dona *ſacerdos.*
102.	23.	b.	Eurydicen.
109.	20.	a.	*ultrò citroq; ut* Camœna *iuſit.*

110.	17.	a.	*Solœciſmus.*
128.	18.	b.	Nō *lædit Socrates.m.p.totus hic ver/ ſiculus ut ſubdititius inducatur ſummoueaturq;.*
131.	19.	a.	*imperioſa rapit. ſine puncto interrog.*
152.	1.	b.	*Iactura maxima.*
159.	24.	b.	D*ijs ubi uiſum ſuperis.*

In *Satyris* Iani *Anyſij.*

2.	11.	a.	*manumq́;.*
18.	24.	a.	*concentu.*
22.	3.	b.	*errari cœlo.*
24.	5.	a.	*næ multum.*
23.	19.	b.	*ingredere, neu doctas* R*egule* A*th.*
27.	24.	a.	A*t te.*
35.	22.	a.	*craplam.*
37.	26.	b.	*poſt uerſum, ut ferat exc.t.a.ſ.* A.V. *adde hunc uerſum.uidelicet.*Et, *famæ can/ tor quos commendabat* Homerus.
39.	15.	b.	*egeſtas?*
41.	8.	b.	R*auiſcherio.*
45.	21.	b.	Q*uo ſtimulo ad cal.*M.*c.c. hic uerſi culus eſt tranſpoſitus & reponendus poſt uer ſum uidelicet,* Iam *iam præcipiti ſp.ſu.r.*
57.	8.	b.	*letali ut cuſpide.*
66.	6.	a.	*libensq́; uolensq́;.*
73.	12.	a.	Parendum.
81.	25.	b.	Pertentat *digito, pectus ſcrutabere.*
88.	16.	a.	*poſt uerſ.* Vates, *ſi ingenium f.p.h. adde hūc uerſum uidel.*Si *nō latronis, tā dicta arguta pbaſſet.*

92.	23.	a.	*Ille ut germanum.*
93.	25.	a.	*Incumbentem imbrem cupidi expecta (uimus.*
109.	23.	b.	Erinnyas.
114.	13.	a.	*& hymeneo. eradenda è libro hæc eſt (particula.*

In Coſmi Anyſij Poematis.

10.	22.	b.	Chariclo.
14.	6.	a.	De eadem. *ſic etiam in tergo in primo & quarto uerſiculo ubi ſermo eſt in tertiam perſonam.*
19.	2.	b.	Tendo *ut uenator.*
34.	18.	a.	*ſurrhentiq;.*
35.	10.	b.	Nil *eſt quod.*
52.	18.	b.	*maius an cupit* Maius?
58.	4.	b.	*etenim ultrò citroq;.*
62.	26.	a.	Vera *eſt uera* Iouis.
Ibidem	27.		*áduenit auxilio.*
65.	18.	a.	*Omnia diſpereunt fers niſi fortis opẽ.*
80.	20.	a.	*huic nihil ut habeas.*
85.	14.	a.	Nequitiæ *ad cumulum reſtabat teſſera iniqua.*
97.	13.	a.	*Inſuit & puerum laxa ad femoralia, noſter.*
105.	9.	b.	*arborem pirum.*
119.	5.	a.	Grex *idem eſt certè, ſed non eſt* dux *gregis idem.*
140.	2.	b.	Mitius *aſſuetisq; malo & ſeruis tumet hydrops. In uerſiculo ſequenti.* Hydrôpe *infeſto.*
171.	16.	b.	*Sæpè inſciens prudente.*

172. 25. *a.* *emimus*
185. 16. *b.* *Paulum Apoſtolum imitatus.*

Ad Lectorem.

Si ad rerum Oceanum lector ſpectaueris, hæc non
Spartani pueri morſibus accipies.

Ad eundem.

Si corrigendi, non laborem défugis
Hæc lector exemplaria, aureæ deæ
Scis pollicentur quid Camœnæ? clarius
Tibi fore claro Sôle quicquid légeris.
Si féceris ſecùs, tenebricoſior
Non noctis umbra ſit ſilente Cynthia.
Núm permouebit lex & execratio?

Adnotationes.

In locuſta nomine appellatiuo quin prima corripiatur quid obſtet, neſcio. nos cõmunem fecimus niſi ſyſtolen eſſe mauis, ſic in pupilla licet parciſſimè, ſic in crabrone, ne tam arctam ſibi legem latini præſcribant.

In prima uel ſecunda perſona numeri multitudinis tam præteriti quàm futuri ſubiũctiui uerborũ mihi ſyllaba eſt cõmunis.

In matrima, patrima accentum appoſui in penultima ea ratione qua in quadrima.

Thronum, quia uocabulum uiſum eſt non inelegans, ex Horatij præcepto uſurpaui, & eodem modo nonnulla alia. nam cúr non audendũ? ut multa cõmodè renaſcantur ditemuſq; elegantibus uel græcis uel priſcis nouiſq; latinis uocibus ſermonẽ patrium latinamq; linguã, Idq; maximè urgente norma chriſtiana & conſuetudine, & neceſſitate.

Penus prò loco. ut ſenatus, concio & nonnulla alia, cui diſſplicet, ille figuram poetis conceſſam, contentũ prò continenti & è conuerſo agnoſcat, multa non prorſùs abſurda ac barbara tempori ſunt condonanda. Perſius tamen prò penario, penu poſuit. Quod multa fidelia putet In locuplete penu, & Iuuenalis. cui pera penus.

Cognomenta quanquã barbara quæ alioqui non intelligerentur, retinuimus, ut dè Capua, dè Summa & talia.

In connubio, licet grammatici dicant ambiguam eſſe antepenultimam, ipſe productã puto, ut in Oenotrio, nam per ω magnũ ſcribitur. at ſynereſis eſt in penultima, utrobiq; apud Virg. Eadem eſt ratio in pituita multiſq; alijs.

In aduerbijs ſimilitudinis in I deſinentibus non equidem magnum committi flagitium exiſtimarim ſi communi finali ea ponantur, quandò in utiq; corripitur.

In margarita, ſeruauimus naturam literæ quemadmodum faciunt græci quandò græcum eſt uocabulum.

Polletq; poteſtq;. uolens & libens aliaq; pèr prothyſteron dicta concedantur numero & euphoniæ.

Craplam, ut lamnam & diſplinam & ſalmentum per metaplaſmi ſyncopen.

Aurelia & mulieris & uolucris eſt nomen.

Paulomox, ut paulo extra numerum Cicero dixit.

Præſes Heſperiæ. diuus eſt Iacobus.

Qua lêge Orpheus iuerit quæſitum Eurydicen. ne terga uerteret, interpretator.

Secundas perſonas uerborum indicatiuo modo quarti ordinis in is audaciùs interdũ corripere ut in illo forte Propertiano,

cùm qua dormis amica ſimul, non uiſum eſt ita nobis ut græcis feliciter ſuccedere, quandò tam arctam legē ſanximus, neq; adeò ut in noſtris antiquis qui in ſecūdi ordinis infinitiuis utiq; corripiunt penultimas, ut féruere leucatem. licet in utriuſq; infinitiuis, multis uulgò gētibus corripiātur, ut in idiomate omnium eſt uidere Siculorū, ut ita antiquis eſſe factitatum atq; deinde pèr manus perueniſſe ad poſteros poſsimus ſuſpicari, fortè quia mutatis formis redigebant illi in tertiam, ut bodiè in morior, orior, potior, pario & multis alijs etiā retinemus. Eadem ratio eſſet in palus, tellus & eiuſmodi quæ Horatio, Capellæ & alijs Poetis aut pèr licentiā aut pèr ſibili extritionem aut græca audacia, corripiuntur. Nobis in portu nauigandum & à non receptis longiùs diſcedendū, tutior uidetur ſententia. ergo uela uertimus pedemq; repreſsimus, audebunt olim alij finesq; feliciùs dilatabunt.

In primo libro Poematum Iani Anyſij, Epitaphium Pontani quod ipſe Pontanus uir diuinus non eſſe mutandum reſpōdit, ſic habebat.

Pontanus bic ſitus eſt ne amice lacbruma.
Potuit oſſa breuis cápere tumulus
Potuit inclytam animam ſinus Cœli
At gloriæ uiri capax non eſt Orbis.
Vale uiator.

Ianus Anyſius Fabritio Ieſualdo S. D.

SI unquam aliâs ſcriptorũ editio fuit periculoſa, nunc profectò his plumbeis formulis adinuentis eſt periculoſiſſima, per enim quam difficilis emiſſæ uoci eſt reditus, mille atq; amplius, opera tumultuaria atq; errore inobſeruabili pariter impreſſis libellis. At nullus olim patribus noſtris nõ erat emendandi locus, multáq; litura laudi ducebatur, at illa fulgebant tẽpora, quibus prouentus largáq; eſſet doctrinarum omniumq; rerum bonarũ annona. Nobis neq; ea nitent ingenia, neq; ea uigẽt ſtudia, neq; ea eſt induſtria, neq; ij adſunt moderatores, admonitores, adiutores, ueri conſultores, fidiq; amici & à manu ſerui. His tot ac tantis commodis priuati peregrina lingua ſcribimus, eáq; preſertim ſcribimus quæ nitore maximè conſtent & elegantia, ut res mira ſit non longiſſimo abeſſe interuallo àb illis ſeculis cultiſſimis. at ſi quando proximè accedimus, quæ inuidia aut potiùs iniquitas ſit, nõ magna nos laude donari? atq; haud ſcio an maiori quàm illi clariſſimi uiri donabantur. nã quæ laus eſt pèr deos immortales trãquillo mari, cõmodo nauigio robuſtis ac peritis nautis in littore nauigare? ſed eſt mediusfidius præclara, uehemẽtes pèr procellas, ſemifracta naui, non admodum multis nautis, ijsq; indoctis, ex alto in portum peruenire. Quid ergo faciendum? clauum clauo ut eſt in prouèrbio, trudemus, atq; id eò libentius quod tibi magnopere Fabr. Ieſualde placere uidetur, nempè quæ paſſim occurrant in noſtris impreſſis poematis aut emendanda aut illuſtranda, ſij lẽ ut typis emendẽtur atq; illuſtrẽtur, hacq; quaſi talione multentur. ſic ſumus, polliciti facere, neq; unquam pæ

nitebit. Valeant beati iſti pulchelli & delicati qui tempore ſapientiſsimo (dijs non probantibus) uolunt eſſe ſapientiores, uerumtamen ab ipſo eodem tempore meritis accipiũtur pœnis, nã Lethe *paulatim atq; obliuioni cúmq; opera & uigilijs prorſùs traduntur, ut eadem iſtis & mors & uita cenſenda ſit. Circunſpecti cóntra & quibus omnis floculus eſt prò trabe, qui cura iugi atq; perenni ſua cudunt, ruminant, caſtigant & premunt, cùm ipſo tempore ſolent caneſcere atq; in dies magis magiſq; probari. Dè nobis deniq; ut dicã, multa ut eſt uidere, ſcripſimus, & quis tandem eſt qui multa poſsit ac bene dicere?* T*um in illis procellis, infidis ſocijs atq; gubernatoribus neſcio quo fato noſtra emiſimus, & ſæpè ita mente attoniti animóq; fortuna omnibus iaculis impugnãte, cõſternati, ut facile in ipſo Sôle caligaremus, ſed illæ nebulæ tamen non prorſùs ut obſcurent nitorem & oculorum præſtringant aciem peracutam, modò is Cenſor lector'ue ſit quem non omnis minutia aut leuis aut aliena culpa dè gradu pellat, non liuor aut inſcitia importuna tranſuerſum agat. Quam ob rem ea uiſum eſt rurſùs denuò adnotare quæ poſt non contemnenda occurrerunt, cúm nunquã ſim ab hoc officio & labore ut ſæpiùs ſum pollicitus quoad uixero ceſſaturus.* N*on tamen tacebo dè genio meo non me parum poſſe gloriari, ſæpè ultrò ille nõ ſinè mea magna admiratione ac ſtupore, in tanto rerũ aceruo, quas ſcripſimus, alicuius labeculæ admonuit, quã iampridẽ admiſiſſemus cæcutienteſq; præterijſſemus nulla quidem mea cura, meditatione, lectione, præcedẽte, aut quod pèr me ſperaſſem conſiderare animaduerteremq;, ut diuinitùs poſsit uideri factum mihiq; ſpem fieri, haud ita multum ſupereſſe uitij quod grauius argueret pec*

catum ruinamq; minaretur. Quorſum hæc? an ut petā ita dè meis ſcriptis quemadmodum dè Homeri uerſibus ab aliquo Ariſtarcho eſſe iudicandū? ſed redeo. de nobis uiderint docti. Nonnulla tādem philoſophi, multa, grāmatici fungens officio pèr epiſtolam cōmentabor accurata fortaſſè lectione non indigna, ſit modò fas hæc tanta pandere myſteria. Ego poetis non perperàm inditum eſſe diuinū nomen exiſtimo, Dei.n. propriū eſt facere, cuius rei quandò participes fecit homines, quid eſt quod admiremur cúm aliquid illi audēt ſuprà hominē ſupráq; grammaticam quæ in rebus tantùm uerſatur humanis repitq; humilis neq; ſe altiùs attollit impluuio. Non ergò bellè faciūt grāmatici qui alienā in meſſem ſuā audent acuere falcem & in his preſertim rebus quæ non labore & uigilijs comparantur, ſed è cœlo animis ſeſe inſinuantes, proficiſcuntur, ueluti cū dè numeris arteq; muſica nihil dè trita ſemita diſcedentes, diſputant. mihi tantùm uiſum eſt locū demōſtraſſe, nam illas linquo uanitates Ochegis, Maronibus, Homeris deridendas, dè cunctis enim diſſerere neq; ē animus neq; epiſtola pateretur. Hæc ſumma eſt, non pauca dari uitio à grāmaticis quæ ſummæ ſunt laudis ac maximæ uirtutis. Diſcedunt dè uia diuini Muſici & Poetæ atq; ut peritiſsimi funambuli tunc magis conſiſtunt cúm imperitæ multitudini uulgóq; inſipientiſsimo magis cadere uidentur, idq; ſtudio faciunt libentes ac uolentes, eoq; cùm decóro, ut paucis admodum qui illud agnoſcunt res adeò diuina cenſeatur. Figuras grammatici appellant & rectè quidem, ſed quas uôce nórint tantùm cúm alioquì hallucinentur & ueluti in tenebris à re aberrent quam diligenter ueſtigant. Quid; non in cantu eſt auſus Ochegus? quod Cælitum cho-

ris linquo diiudicandũ. Quid non Virgilius? Quid non Homerus? alijq́; huius ordinis præclariſſimi? quó artificio nunc cadunt, nunc reſurgunt, nunc exucti exárent, nunc tumidi abundant, eaq́ imitatione ut ab eodẽ fonte hauſiſſe uideantur? Ferreiq́ Eumenidum thalami noſter quidem Homerus, græcus autem Χάλκεοι μὲν γάρ τοῖχοι. *hácq; ratione, ſi modò locus non reſpuat, quid obſtat, ſpectaculo, cœnaculo, lamina, crapula, dicas? an harmoniæ iuſſu, ſpectaclo, cœnaclo, lamina, crapla? Talia non recipere ſcanſionem metra grammatici dicunt. ridiculum. qui græcos legit Camœnarum ſtudioſus, hæc paſſim offendit quæ animum teneant paſcantq́ admirabili delectatione. Sed ſum prolixior opinione, ſexcentiès quidẽ certè ſexcenta milia ſunt quæ oporteret in medium afferre, ſi omnes uellem cúm figuras tum hæc orationis lumina colligere. Quid quæſo Valerio Catullo uenit in mentem cúm acinam fœminino genere protulit? Deus'ne aliquis qui præeſt Poetis, ſúmonet? an quæ Siren huiuſmodi delicias ſubminiſtrat? an ipſamet ratio, uulgo ſæpè & ſæpè externis uocibus non neglectis, perſuadet? Aëre fulua, rectos cupreſſos, Ennius.* κέρα βατεῖαν *Homerus. purpureã Narciſſum, Virgilius. hos lodices, collos, gladiolam, Pollio, Gallus, Meſſala uiri doctiſſimi, amœnioris uocis ſuauioriſq́; ut puto, ſoni illecebra delectati, dixerunt. Dè nominum ergò genere non ſecùs atq; dè undoſiſſimo Oceano in quo & ingentia nauigia & peritiſſimi Palinuri & fluctuant & perſæpè mergũtur, prætermiſſis alijs orationis partibus liceat dicere nõ intempeſtiua. Tribus ueluti ducibus nomẽ maximè innititur, Proportione, Significatione & Terminatione, quorum ſæpè fretum auſpis*

ciis uariatur ambiguumq́; fit, ut aliud græcis ſit, Latinis aliud. ſicut œſtrum, orichalcum, uinum, æuum, margarita, lachryma, ſinapis, amphora, calix, cera, cetus, lotus, ceraſus, epops, ſardonyx, lynter, lychni, erebus & multa alia. qui græcè ſcit facile generis animaduertet uarietatem. In Eunuchum ſuam Terentius, finitus Oreſtes, Iuuenalis dixit. ſic nomina uirtutum, affectionumq́; latinis fœminina plerunq; ſunt, græcis uerò aliter. quæ, laus eſt nobis, illis αἶνος eſt. hac potiſsimùm ratione hydrops altero ſexu à Coſmo noſtro Anyſio pronuntiatur, quanuis nos boni conſulentes & ne ſolœciſmus uideretur, correximus. eádem Terminatiōe ſcobs, ſcrobs, & quædam alia dubio ſunt genere. ſpinus, lupus, execti ut Eunuchi ſexum mentiuntur. Mytilenæi lesbi eſt apud Ouidium. tota eſt humilis Oeta apud Lucanū. Oſtriferi Abydi apud Virgilium. ſic Præneſte, Saguntum, Anxur, Salernum & alia innumera ancipiti genere apud receptiſsimos autores eſt inuenire. pumex, lapis, ſilex, talio, barbitos, dies, finis, cinis, funis, acus etiam uulgo, genere ſunt ambiguo. Quin etiā multa offendes quæ neſcias qua in claſſe loces, cùm quibus'ue ſentias grammaticis uiriſq; doctis, cúm perſæpè pertinaciter intèr ſe diſsideant atq; acriter digladientur, & grammatica, obſeruatio ſit quæ uſu potiſsimùm conſtet & autoritate nitatur. Sed hactenus, ne prorſùs locupletem Priſciani peram uideamur compilaſſe. Vale.

Ad Lectorem.

ſI ea corrigendo quæ plumbarij Impreſſores concul-carunt eaq́ retractando quæ catellis calumniatoribusq́; anſam præbuiſſent ad mordendum, & deniq; ea reponendo quæ uiſa eſſent meliora, nulli impenſæ & operæ pepercimus, tun' lector tam paruo parces labori? Leues tamen labes & quas liuor tantùm uitij arguat, quoniam in impreſsis exemplis quæ tu eadem quæſo opera conſulito, partim ſunt recognitæ, partim à mediocriter docto facilè recognoſcentur, omiſimus ex conſilij ſententia. Nota, primum numerum eſſe chartarum, ſecundum eſſe uerſiculorum. a, ſignificare frontem, b uerò folij tergus. Vale.

Errata ex Regula, reponenda.

Epitaphium pèr t exile ſcribendum.
Eurydice pèr y.
Hymenæum cùm diphthongo.
Hornum cùm aſpiratione.
Crathin cùm t aſpirato.
Letum, letale, cera, ceruleum, ceſton ſinè diphthongo.
Libens uolens. ultrò citrò. purum putum,
Pudet piget, ordinandum eſt.
In characteribus græcis pepercerint lectores, nam uix illorũ copia fuit quibus uoces exprimeremus ne dum graphicè ſignaremus.

In Iani Anyſij Varijs poematis hæc nuperrimè ſe obtulerunt emendanda.

2. 17. b. Neapolis beata Pieris.
11. 15. b. Regia cœlic. largè & lux red. pont. eſt.

28.	1.	a.	Hiericho.
34.	20.	b.	uox ubi.
39.	20.	b.	Hinnuli uti ludunt.
42.	6.	b.	hinnuli.
47.	4.	b.	Coniugijs.
52.	18.	b.	libens uolensq́.
53.	3.	a.	elegantiusq́.
54.	11.	b.	Mæonio.
55.	15.	a.	libens uolensq́.
56.	21.	a.	Candace.
60.	6.	b.	& Auſter ater ponit.
71.	2.	a.	primigeniusq́;.
73.	8.	b.	Ructaſſe ſcopulos inflāmatasq́; fauillas.
77.	2.	a.	Sex hodiè texo, tremuló cràs lacte co-(rono.
78.	18.	a.	uno mihi plurima folle.
79.	5.	a.	Hilermi.
80.	5.	a.	dè morte Hilermi.
83.	27.	b.	Amycum.
88.	8.	b.	Biſſeno.
88.	17.	b.	Aeetæ.
90.	1.	a.	prior lectio non diſplicet.
92.	18.	a.	Tu, me conſulto, triſtior ibis anus.
96.	21.	a.	multò pernicioſior.
98.	23.	b.	decimum Decembrem.
99.	1.	a.	& ſceptrum aureum & omnia aræ (Dona ſacerdos.
102.	6.	b.	ſublimi è uertice.
102.	23.	b.	Eurydicen.
109.	20.	a.	ultrò citroq́ ut Camœna iuſsit.

110. 17. a. Solœciſmus.
128. 18. b. Nō lædit Socrates.m.p.totus hic uer/ſiculus ut ſubdititius inducatur ſummoueaturq́;.
131. 19. a. imperioſa rapit. ſinè puncto interrog.
152. 1. b. Iactura maxima.
159. 24. b. Dijs ubi uiſum ſuperis.

In Satyris Iani Anyſij.

2. 11. a. manumq́;.
18. 24. a. concentu.
22. 3. b. errari cœlo.
24. 5. a. næ multum.
23. 19. b. ingredere, neu doctas Regule Ath.
27. 24. a. At te.
35. 22. a. craplam.
37. 26. b. poſt uerſum. ut ferat exc.t.a.ſ. A.V. adde hunc uerſum. uidelicet. Et, famæ cantor quos commendabat Homerus.
39. 15. b. egeſtas.
41. 8. b. Rauiſcherio.
45. 21. b. Quo ſtimulo ad cal.M.c.c. hic uerſiculus eſt tranſpoſitus & reponendus poſt uerſum uidelicet, Iam iam præcipiti ſp.ſu.r.
57. 8. b. letali ut cuſpide.
66. 6. a. libenſq́; uolenſq́;.
73. 12. a. Parendum.
81. 25. b. Pertentat digito, pectus ſcrutabere.
88. 16. a. poſt uerſ. Vates, ſi ingenium f.p.h. adde hūc uerſum uidel. Si nō latronis, tā dicta arguta ꝓbaſſet.

Digitized by Google

92. 23. a. *Ille ut germanum.*
93. 25. a. *Incumbentem imbrem cupidi expecta* (*uimus.*
109. 23. b. *Erinnyas.*
114. 13. a. *& hymeneo. eradenda è libro hæc eſt* (*particula.*

In Coſmi *Anyſij* Poematis.

10. 22. b. Chariclo.
14. 6. a. De eadem. *ſic etiam in tergo in primo & quarto uerſiculo ubi ſermo eſt in tertiam perſonam.*
19. 2. b. Tendo *ut uenator.*
34. 18. a. *ſurrhentiq;.*
35. 10. b. Nil *eſt quod.*
52. 18. b. *maius an cupit* Maius?
58. 4. b. *etenim ultrò citroq;.*
62. 26. a. Vera *eſt uera* Iouis.
Ibidem 27. *áduenit auxilio.*
65. 18. a. Omnia *diſpereunt fers niſi fortis opē.*
80. 20. a. *huic nihil ut habeas.*
85. 14. a. Nequitiæ *ad cumulum reſtabat teſſera iniqua.*
97. 13. a. *Inſuit & puerum laxa ad femoralia, noſter.*
105. 9. b. *arborem pirum.*
119. 5. a. Grex *idem eſt certè, ſed non eſt* dux *gregis idem.*
140. 2. b. Mitius *aſſuetiſq; malo & ſeruis tumet hydrops. In uerſiculo ſequenti.* Hydrôpe *infeſto.*
171. 16. b. *Sæpè inſciens prudente.*

172. 25. *a.* *emimus*
185. 16. *b.* *Paulum Apoſtolum imitatus.*

Ad Lectorem.

Si ad rerum Oceanum lector ſpectaueris, hæc non
Spartani pueri morſibus accipies.

Ad eundem.

Si corrigendi, non laborem défugis
Hæc lector exemplaria, aureæ deæ
Scis pollicentur quid Camœnæ: clarius
Tibi fore claro Sôle quicquid légeris.
Si féceris ſecùs, tenebricoſior
Non noctis umbra ſit ſilente Cynthia.
Núm permouebit lex & execratio?

Adnotationes.

In locuſta nomine appellatiuo quin prima corripiatur quid obſtet, neſcio. nos cõmunem fecimus niſi ſyſtolen eſſe mauis, ſic in pupilla licet parciſsimè, ſic in crabrone, ne tam arctam ſibi legem latini præſcribant.

In prima uel ſecunda perſona numeri multitudinis tam præteriti quàm futuri ſubiũctiui uerborũ mihi ſyllaba eſt cõmunis.

In matrima, patrima accentum appoſui in penultima ea ratione qua in quadrima.

Thronum, quia uocabulum uiſum eſt non inelegans, ex Horatij præcepto uſurpaui, & eodem modo nonnulla alia. nam cúr non audendũ? ut multa cõmodè renaſcantur ditemuſq; elegantibus uel græcis uel priſcis nouiſq; latinis uocibus ſermonẽ patrium latinamq; linguã, Idq; maximè urgente norma chriſtiana & conſuetudine, & neceſsitate.

Penus prò loco. ut ſenatus, concio & nonnulla alia, cui diſ ſplicet, ille figuram poetis conceſſam, contentũ prò continenti & è conuerſo agnoſcat, multa non prorſùs abſurda ac barbara tempori ſunt condonanda. Perſius tamen prò penario, penu pò ſuit. Quod multa fidelia putet In locuplete penu, & Iuuenalis. cui pera penus.

Cognomenta quanquã barbara quæ alioquì non intelligerentur, retinuimus, ut dè Capua, dè Summa & talia.

In connubio, licet grammatici dicant ambiguam eſſe antepenultimam, ipſe productã puto, ut in Oenotrio, nam per ω magnũ ſcribitur. at ſyngreſis eſt in penultima, utrobiq; apud Virg. Eadem eſt ratio in pituita multiſq; aliјs.

In aduerbiјs ſimilitudinis in I deſinentibus non equidem magnum committi flagitium exiſtimarim ſi communi finali ea ponantur, quandò in utiq; corripitur.

In margarita, ſeruauimus naturam literæ quemadmodum faciunt græci quandò græcum eſt uocabulum.

Polletq; poteſtq;. uolens & libens aliaq; pèr protbyſteron dicta concedantur numerò & euphoniæ.

Craplam, ut lamnam & diſplinam & ſalmentum per metaplaſmi ſyncopen.

Aurelia & mulieris & uolucris eſt nomen.

Paulomox, ut paulo extra numerum Cicero dixit.

Præſes Heſperiæ. diuus eſt Iãcòbus.

Qua lêge Orpheus iuerit quæſitum Eurydicen. ne terga uerteret, interpretator.

Secundas perſonas uerborum indicatiuo modo quarti ordinis in is audaciùs interdũ corripere ut in illo fortè Propertiano,

cùm qua dormis amica ſimul, non uiſum eſt ita nobis ut græ-cis feliciter ſuccedere, quandò tam arctam legē ſanximus, neq; adeò ut in noſtris antiquis qui in ſecūdi ordinis infinitiuis utiq; corripiunt penultimas, ut féruere leucatem. licet in utriuſq; infinitiuis, multis uulgò gētibus corripiātur, ut in idiomate omnium eſt uidere Siculorū, ut ita antiquis eſſe factitatum atq; deinde pèr manus perueniſſe ad poſteros poſſimus ſuſpicari, fortè quia mutatis formis redigebant illi in tertiam, ut hodiè in morior, orior, potior, pario & multis alijs etiā retinemus. Eadem ratio eſſet in palus, tellus & eiuſmodi quæ Horatio, Capellæ & alijs Poetis aut pèr licentiā aut pèr ſibili extritionem aut græca audacia, corripiuntur. Nobis in portu nauigandum & à non receptis longiùs diſcedendū, tutior uidetur ſententia. ergo uela uertimus pedemq; repreſſimus, audebunt olim alij fineſq; feliciùs dilatabunt.

In primo libro Poematum Iani Anyſij, Epitaphium Pontani quod ipſe Pontanus uir diuinus non eſſe mutandum reſpōdit, ſic habebat.

Pontanus hic ſitus eſt ne amice lacbruma.
Potuit oſſa breuis cápere tumulus
Potuit inclytam animam ſinus Cœli
At gloriæ uiri capax non eſt Orbis.
Vale uiator.

Penus prò loco. ut ſenatus, concio & nonnulla alia, cui diſſplicet, ille figuram poetis conceſſam, contentũ prò continenti & è conuerſo agnoſcat, multa non prorſùs abſurda ac barbara tempori ſunt condonanda. Perſius tamen prò penario, penu poſuit. Quod multa fidelia putet In locuplete penu, & Iuuenalis. cui pera penus.

Cognomenta quanquã barbara quæ alioqui non intelligerentur, retinuimus, ut dè Capua, dè Summa & talia.

In connubio, licet grammatici dicant ambiguam eſſe antepenultimam, ipſe productã puto, ut in Oenotrio, nam per ω magnũ ſcribitur. at ſyneresis eſt in penultima, utrobiq; apud Virg. Eadem eſt ratio in pituita multisq; alijs.

In aduerbijs ſimilitudinis in I deſinentibus non equidem magnum committi flagitium exiſtimarim ſi communi finali ea ponantur, quando in utiq; corripitur.

In margarita, ſeruauimus naturam literæ quemadmodum faciunt græci quando græcum eſt uocabulum.

Polletq; poteſtq́. uolens & libens aliaq; pèr protbyſteron dicta concedantur numero & euphoniæ.

Craplam, ut lamnam & diſplinam & ſalmentum per metaplaſmi ſyncopen.

Aurelia & mulieris & uolucris eſt nomen.

Paulomox, ut paulo extra numerum Cicero dixit.

Præſes Heſperiæ. diuus eſt Iacobus.

Qua lêge Orpheus iuerit quæſitum Eurydicen. ne terga uerteret, interpretator.

Secundas perſonas uerborum indicatiuo modo quarti ordinis in is audaciùs interdũ corripere ut in illo forte Propertiano,